BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 B
9

M

14-12-B-12.

Digitized by Google

Camera
Scanſ: 10 = ord: 1 = n.° 2195 =

Digitized by Google

Digitized by Google

EVERARDI WASSENBERGII

EMBRICENSIS

HVMANÆ VITÆ SCENA,

CONDITIONES HOMINVM ET MORES AD AMVSSIM REPRÆSENTANS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LOVANII,
Apud FRANCISCVM SIMONIS, & EVERARDVM DE WITTE.
Anno M. D. C. XXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLVSTRI
AMPLISSIMOQ; VIRO
D. PETRO ROOSE
EQVITI,
REGI CATHOLICO IN HISPANIIS
AC BELGICIS PROVINCIIS
A CONSILIIS STATVS, &c.
PRÆSIDI
DIGNISSIMO.

AMPLISSIME DOMINE;

NVNQVAM Mentio Tui coram facta eſt (vt ingenuè loquar) quin idem facerem quod Diuus Iulius ad Statuas Herculis & Alexandri, hoc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

eſt quin ad Ingenij Tui felicitatem, Doctrinæ ſoliditatem, Eloquētiæ flumen, & ſuper omnia Prudentiæ vbertatem, ſterilitatis meę conſcius ingemiſcerem: præſertim cùm ſummis virtutibus ſumma coniūcta diceretur Humanitas, vt non immeritò dubiū cuiquam videretur, conferrent ſummæ virtutes ſummæ Humanitati, an ſumma Humanitas ſummis virtutibus lumen maius. Omnia in ſpectaculum me Tui rapuêre, cum horum vnicum ſufficiat admirationi. Tui itaque videndi curioſitatę ductus, Bruxellas veni: vidi, & quod rarum, Nominis Tui fa-

mâ maiorem Te ſenſi. Subijt itaque mentem, quod non ita pridem, vt mihi verè relatum eſt, quidam in Batauia magni. Conferentibus enim ſuos Brabantiæ Statibus, PETRO ROOSE Secreti Conſilij PRÆSIDI neminem fecerant parem, verùm etjam BARNEVELTIO olim ſuo ſuperiorem. Et Hercule, niſi, quæ in alijs mediocria ſunt, in Te ſumma conſpicerentur, nunquam ad hunc Eminentiæ Gradum (ad quem Comites & Marchiones aſpirare vix audent) ſupra reliquos eleuatus aſcendiſſes. Quid itaque ſecuriùs faciam, quàm, in non Potentiſſimi vel

Illuſtriſſimi cuiuſpiam, vt plerique modò, ſed Tuam Tutelam ſecedere? Quid meliùs, quàm tantarum virtutum Eminentiæ, in imagine mei meipſum Tibi tradere? Ita me Deus. Sed quid agis, inquies, ô adoleſcens? Inter audaciam & verecundiam quid interſit ſcio; ſed placet audaciam ſumere vt verecundus non ſim, immò verecundiam ponere vt audax ſim. Crepuſculi matutini rorem, Primitias meas, labores meos Tibi offero, ſic virtutes voluêre Tuæ, ſic Humanitas Tua exegit. Si placet itaque conatui meo ſuccenſere, virtutibus Tuis, HumanitatiqueTuæ ſuc-

ſuccenſeas oportet priùs.

EVERARDVS WASSENBERGIVS
Clientum Tuorum
Humillimus.

AD LECTOREM.

VOlebam, Amice Lector, ego loqui, ſed occurrunt illa Xenephontis & ſuffiunt. *Scio nonnullos liuore ductos, morbo animi obtemperaturos. Tamen memor, nullam vnquam virtutem caruiſſe inuidia, (malè etenim cum eo agitur, cui nullus inuidet,) æquanimiter feram eorum dicacitatem. Solent inuidi, & qui præcipuè ſuo ingenio diffidunt, aut qui præſtant impudentiâ, alios, detrahendo, obloquendoque, laceſſere, verùm vtantur ſuo inſti-*

tuto ac moribus, modò id ſciant, malitiam magnam partem veneni ſui bibere. Nihil addo: ero interim tantus, quantum Fortuna dederit, & tuus Fauor.

EX GRÆCO
INCERTI AVTHORIS.

Scena eſt hæc vita & mimus, vel ludere diſce,
Seria poſtponens, vel cruciare miſer.

IN-

INTRODVCTIO LECTORIS.

PRINCIPIVM omnium Deus eſt, à quo ſunt omnes & omnia, ſed qui tamen ipſe non cœpit, & eſſe dedit omnibus. Erat itaque tempus quando homo non erat, quod fieret autem bonitatis erat, quod ex limo, fragilitatis. Vtroque non vſus, ſed abuſus, propriam amplexus perniciem, originali priuatur Iuſtitia. Vnde fluere debebat felicitas, miſeriarum erupit pelagus: imbellis homo, quia rebellis. Veriſſimè ergò Oraculum Sapientiæ Annæus: *Quid inimiciſſimum homini? Homo.* Ecquis eo pernicioſior hoſtis, priuilegio priuans immortalitatis, pœnâ mortalitatis grauans? Deum homo prouocans pernicioſiſſimè luctatur; corpus lethaliter vulneratum vt cadauer induat neceſſe eſt, animam mortalitatis æternæ exponens periculo. Vtpote aggeſtâ humo Pelio Oſſam cumulantes, machinam inuulnerabilem ſtultè quaſſaturos Titanas humus tegit.

Os dederat ſublime Deus Cœlumque tueri,
Iuſſerat erectos ad Sidera tollere vultus:

Sed Conditoris ſui oblitus, relicto Deo, relicto Cœlo, ſerpebat humi, creaturam ilicò Creatore commutans, Animalia, bruta, beſtiæ & Ele-

& Elementa obtemperabant, & obtemperant, non obediuit homo, pactis non ſtetit. Armatur ergò in hominem quicquid extra hominem, imò quod peius, quod periculoſius, in ſeipſum diuiſus, inimicus hominis domeſticus eius: pars inferior ſuperiorem premit, tantùm non opprimit, non rarò ſupprimit. Quicquid hominis eſt ab homine penè ſepelitur. Vnicus rationis è denſo cinere elucet igniculus vt regat, non regatur: ſed ita æmulum virtuti ſuccreuit vitium, vt parum abſit quin ſopiatur. Munitiora hominis peccatum abſtulit; & hinc in nobis, prô dolor! poſteris intoxicatis, maleſani ore purulento vſque adhuc ebulliunt ructus. Terſit, vt fateor, imò deterſit, veſanam hanc maculam veriſſimus Samaritanus humani generis Redemptor: ſed ita deterſit, vt ex doloſiſſimo inſidiantis appetitus culmo, blandiente libidine, ſtimulus pullularet, & fœderis confracti hominem identidem commonfaceret: eòuſque enim corrupti hi mores inueterauerunt, ita pertinaciter hominem inſederunt, vt euulſo licet & patibulo Crucis, eradicato delicto, ipſo interim annitente & cooperante, in tranſuerſum agatur: obnoxium enim peccato eſſe, morbidum eſſe, verbo dicam, miſerum eſſe, pœna peccati eſt: culpam Crux abſtulit, hæc pœna remanſit. Luce meridianâ cla-

nâ clariora ſunt, ratione non indigent, experientiâ certi, veriſſimâ rerum omnium magiſtrâ. Concupiſcentiæ, viciſſitudines; alterationes, morbi mentis & corporis, volentibus nolentibus ſuperueniunt: ad quæ volumus & quæ non volumus, vel inuiti pariter rapimur. Secundùm illud Pauli Apoſt: *Quod volo bonum hoc non ago, ſed quod nolo malum hoc facio, ſi autem quod nolo malum hoc facio, iam non ego operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum.* Patet itaque quantus homo ſui ipſius ſit carnifex, quantum hominem fatiget homo, quot cum diſcrimine prælia, quot cum merore clades, quàm raræ, quàm difficiles victoriæ. Vt hominem vincat homo, priùs hominem exuat neceſſe eſt: *Qui vult ſeruare animam ſuam in hoc mundo, perdet eam, & qui perdiderit eam,* dicit Saluator, *inueniet eam.* Bene ergò Sapiens Idumæus Beatus Iob, *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Et quid aliud Sapiens Romanus? *Atqui viuere, mi Lucili, militare eſt. Itaque hi qui iactantur & per operoſa atque ardua ſurſum atque deorſum eunt, & expeditiones periculoſiſſimas obeunt, fortes viri ſunt, Primoreſq; caſtrorum.* Et reuera imperterritum omninò Athletam eſſe oportet, bellatur enim hîc ſemper, debellatur nunquam: frangi noſter hoſtis poteſt, deleri non poteſt. Nec fracto vnquam fidendum; vermiculatur dum

fractus eſt, vt munitionem paulatim euertat, nunquam potentior, quàm dum negligitur: vires enim ei in propinquo ſunt, in nobis ſunt: nec vnus, ſed multiplex: ſed ita multiplex quaſi vnus: quàm diuerſus, tam vnitus: ſi vnum àdmiſeris, reliqui ſubintrant. Vni Baccho lites deſpumat in libidines, & quicquid vitiorum eſt vnico mouetur vitio. Vis omnia excludere, exclude ſingula. Nec diffidendum, arma non deſunt: reliquit quædam natura, maxima Deus. Naturæ ratio eſt quæ quid amplectendum, quid fugiendum, quid culpabile, quid inculpatum ruminat & oſtendit: hinc homo

—— Videt meliora probatq;
Deteriora licet poſitâ ratione ſequatur:

Sic enim fortis eſt appetitus vt rationem quodammodo in deterius cogat: aliquid ergò, vt dixi, natura reliquit, rationem reliquit: ſed per ſe debilem & impotentem: amplius Deus largitur gratiam hominibus bonæ voluntatis, quicquid debilitatis & impotentiæ rationis eſt, fortiſſimâ hâc & potentiſſimâ fulcitur & roboratur. Itaque omnia poſſumus in eo qui nos confortat & ſuauiter equitat, quem gratia Dei portat. Nihil hac in terra ſecurius, nihil pretioſius: hac propriæ vilitatis deſpector, inſolenter homo in Deum transformatur: diuinæ naturæ non parti-

particeps ſolùm, ſed conſors. Et ſic iugum Domini, quod deprauatæ naturæ aliàs graue, dulceſcit; & alleuiatur onus. Nec deficiunt auxilia ab extrinſeco, quibus rudis homo paululum efformari, & ad politiorem vitam diſponi, ſi velit, poteſt. Lectiſſimus autem, vt reliqua prætercam, ad confundendum hominem, meâ opinione, liber, ipſe homo eſt: in cautelam Iuſto & Sapienti, Inſipienti autem & peccatori in pharmacum & medelam. Quotquot in eo articulos videris, tot doctrinas, tot obiecta mouentia in veram virtutem: quotquot decora luſtraueris, tot diuinæ beneuolentiæ ſigna, tot diuini amoris ſigilla inueneris: quot pericula, tot monita, quot clades, tot exempla, quot infirmitates & ægritudines, tot humilitatis obiecta, tot veræ Phyloſophiæ documenta. Verbo, ſatis magnum alter alteri theatrum ſumus. Hoc inambulate, hoc inſpicere, propoſiti mei eſt; faueat Deus: faue tu lector.

HVMA-

HVMANÆ VITÆ SCENÆ

CAPVT PRIMVM.

Scena Natiuitatis Humanæ.

VERE Palladas:
Si reminiſcentiam homo cœperis,
Pater te quid faciens
Seminauit, ceſſabis à ſuperbia:
Sed Plato, tibi, ſuperbiam ſomnians, indidit,
Immortalem te dicens & plantam cæleſtem.
Ex cæno natus es, quid ſuperbis valde; hoc quidem ſic,
Diceret vtique aliquis ornans figmento venerabiliori:
Si autem rationem quæris veram, ex immodeſta
Libidine natus es & ex fœta gutta.

Ex viliſſimo ergò hominis corpus humanum eſt; quod neſcio quomodo ad ſui perfectionem, in vtero materno proficit; quibus nutriatur pudet & dicere: ex maſſa fœdiſſima carnea quædam moles, arcano quodam naturæ ad ſui informationem à Deo diſponitur: veriſſimè Sapiens illa Hebræa, ad ſartagines, & filiorum lanienam, conſtans & intrepida

intrepida dixit: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, nec vitam nec ſingulorum membra ego ipſa compegi, eſt Deus huius vniuerſi creator, &c.* Appoſitè huic miraculum patientiæ S. Iob: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repentè præcipitas me? Memento quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me, oſsibus & neruis compegiſti me.* Itaque diuinum eſt, quicquid perfectionis eſt, vile, fædum, informe, quicquid hominis; imò nihil hominis ab initio, quod ab homine; ne nominari quidem fas eſt.

Quicquid id eſt tandem corpuſculi, ita miſeri, & fæce quâdam adhuc abſurdi, in vltima ſui diſpoſitione, nobilitate ſuâ, animâ rationali miſericorditer à Deo informatur.

Néve homo totũ hominem, veluti de more loquũtur,
Progignit; verùm craſſæ tantummodo carnis
Eſt pater, & calidi dat ſemina prima cruoris,
Quorum vtrumq; graui corruptum morte peribit,
Numinis eſt animam vacuæ coniungere carni.

Viliſſimis quibuſdam lacernis tanta veſtitur nobilitas, vaſis fragilibus, tam pretioſus conditur Theſaurus, immortalitas mortalitate tegitur. Itaque iam aliquid eſt, homo eſt, & æternus: ſecundùm quid creatoris ſimilitu-

militudine nobilis; animam enim habet, intellectum, voluntatem, memoriam, vt visâ poſtmodum numiſmatis imagine, & ſuperſcriptione, quid Deo reddendum ſit, facilè, ſi ſapit, aduertat.

Sed adhuc latet in vtero, tanquam viuus in ſepulchro; vt communi luce fruatur iam maturus eſt; priùs autem dolore parens infelix, quàm beata prole; tam caro lytro redimens, ſi quid voluptatis in coniugio, ſi quid gloriæ in filio: aut, (quod, prô dolor, non rariùs vſu venit) mœroris.

Egreditur tandem cruciatu parturientis matris infamis, & maculâ proto-parentis deformis fœtus: in vaſtiſſimo terrarum orbis Theatro *Scenam acturus* prodit. Spectatrix eſt ſacroſancta Trias, è ſede Maieſtatis ſuæ ad exhibentis mores, nutus, geſtus, inceſſum, & eiuſmodi, accuratiſſimus Deus: nihil oculis eius obſcurum, nihil aures eius fugit. & quæ loquetur mimus, & quæ altâ mente repoſtâ labellis premet, acutiſſimùs æquè videbit, æquè ſcrutabitur. Spectaculum deinde Superis & Inferis futurus: ſed & homines inter ſpectantium veniunt numerum, actores ſimul & ſpectatores. *Scenâ* peractâ, vbi, qui è cortinis vteri materni exierat, & alterius matris, olim nutricis, tunc corruptricis, vtero receptus, & eius cortinis fuerit abſconditus,

litus, iuſtiſſima diſtributurus eſt Deus præmia: æterna quidem, ſed aut vitæ, aut mortis, qui Ruſticum egerit, qui Regem, qui Militem, omnibus æquus; erratorum ſeuerus caſtigator, actorum illuſtrium miſericors remunerator.

CAPVT II.

Scena Miſeriarum in primo vitæ diluculo.

SApienter S. Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs: qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* In matutino vitæ crepuſculo nudus, ſui ipſius non potens, infirmus, vix gremio materno effuſus vitam videt, & acceſſibus (vt Medici dicunt) ſepiuſculè mortem minatur: luctâ & ſecreto quodam diſcurſu veluti dubius vitam an necem malit. Reuerà in debili corpuſculo mors & vita duellum quaſi gerunt, nec rarò Parcâ triumphante, fugiente ſpiritu, cadit vita. In hoc ſtatu ridere ſoleo, & Alexandros, Caligulas, Antiochos, alto cachinno inſolenter ludere: qui ſublatis gentium & Iudæorum ritibus, terrarum orbem ad thura aut ſibi aut ſtatuis

ſuis immortalibus, ſcilicet, Numinibus impotenter cogere nitebantur. Quam non velim, vt qui excelſis nunc aſtris gradiuntur, & celſo (ſi Dijs placet) ſidera vertice tangunt poli, nares in ſimos & ronchos perpetuò transformantes: irretorto vultu, capite arroganter & inſolenter diſſoluti, vt altitudinem ſuam ſaniùs contemplarentur, accederent. Miſerum eſt miſerum eſſe, nec miſerum videri velle. Ab infantia homo, vt manifeſtè patet, miſer eſt; imò ipſa miſeria, ſiquidem vt ipſa ſenectus, ſic & ipſa infantia morbus eſt: & ne vita quidem, ſi vita mortalium vigilia eſt. Mors verior, aut certè vera mortis effigies: omnia veluti ſepulta adhuc ſunt & latent, profundo veluti ſomno altùm ſtertit, intellectum, voluntatem memoriam habet & non habet, quia vti impoſſibile eſt. Raſæ & rudes tabulæ ſunt, in quibus nihil aut ſcriptum, aut ſcribi pro tempore poteſt: nec enim ratiocinari, concludere, aut recordari, infantilis ſinit infirmitas, incarcerata ſunt omnia: nuda ſpecies potius hominis, & nihil perfecti hominis: itaque dum homo eſſe incipit, à ferè non homine, ſomno, morbo & miſeria exorditur: vnde & prima eius vox doloris eſt; tanquam ſcilicet diuinaret, in quot, quámque graues & acerbas calamitates procurſurus eſſet: in hoc enim profundum inquietumque

mq́ue proiecti mare, alternis æſtibus reci-
ocum, & modò alleuans nos ſubitis incre-
:ntis, modò maioribus damnis deſerens,
iduéque iactans, nunquam ſtabili conſiſti-
ıs loco: pendemus & fluctuamur, & alter in
erum illidimur, & aliquando naufragium
imus, ſemper timemus. Hinc Lucretius:

m porrò puer, vt ſæuis proiectus ab vndis
uita, nudus humi iacet infans, indigus omni
ali auxilio, cùm primùm in luminis oras
:ibus ex aluo matris natura profudit.
;itúq; locum lugubri complet: vt æquum eſt,
tantum in vita reſtat tranſire malorum.

Placet à Barbaris, non barbarè ſentienti-
, teſtimonium ſumere. Cæſareus nuper
;atus ad Ottomannum Orientis Tyran-
n deſtinatus, lætabundos Thracas, & cho-
circa demortui tumulum ducentes of-
dit: obſtupefactus nouitate rei, ſtudioſus
agator intellexit, Thracibus more inuete-
ım eſſe, mortuis applaudere, naſcentes la-
ıtari: illis vt à perpetuo iam vitæ naufra-
ad malaciam, & ſecuram quietem ſe re-
:ntibus: hos vt imperitos naucleros,
oſius ſemper ebullientis Oceani fluctus,
:ulosè & cum nauſea ingreſſos. Certè hu-
arum rerum tanta inconſtantia eſt, vt re-
:um Ariſtotele dixerim: *Quid eſt homo? Im-*
itatis exemplum, Temporis ſpolium, Fortunæ

 ludibrium,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ludibrium, Mutationis imago, Inuidiæ & Calamitatis trutina: cætera pituita & bilis. Senecam audiamus: *Quid eſt homo?* ait, *quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile, iactatu, non tempeſtate magnâ, vt diſsiperis eſt opus. Vbicunque arietaueris, ſolueris. Quid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuâpte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum: cùm benè lacertos exercuit, cuiuſlibet feræ pabulum, cuiuſlibet victima: ex infirmis fluidiſque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, æſtus, laboris impatiens; ipſo rurſus ſitu, & otio iturum in tabem; alimenta metuens ſua, quorum modò inopiâ, modò copiâ rumpitur.* Sed videlicet in orbem iſta tempeſtas, & ſine dilectu vaſtat omnia, agitque vt ſua. Iube ſingulos conferre rationem, nulli contigit impunè naſci: naſcatur autem feliciùs an moriatur neſcio.

CAPVT III.

Scena Infantiæ humanæ.

TErsâ paululum fœdâ, & virulentâ, in qua ſubmerſus hucuſque iacuerat, matricis fæce, linteolis & faſcibus turpitudine infantis & infirmitate vtcunque ſanatâ & obductâ, anxiæ mox genetrici

genetrici offertur: ſtolidè & adulatoriè præſentibus prolis venuſtati applaudentibus. Amoris illa magnitudine victa, auidè effictæ gratulationi auſcultans, ranam licet (vt Prouerbium habet) iam Dianam putat: & vanè (amoris vehementiâ deformitatem omnem minuente) imaginatur. Crebra itaque libat oſcula, oſculantur & pręſentes, licet quandoque inuiti; abnuere ſiquidem læſæ Maieſtatis crimen eſt, & deſpectæ venuſtatis. Ridiculum reuerà actionis humanæ interludium. Et quis non rideat vbi tam miſera puppa ſuperbientis matris mores viderit? Beatam ſe autumat dum prolem habet, infelicior fortaſſis quia habet. Premit vlnis; lactat vberibus, in ſolatium ſuum an exitium æquè ignara; humíne putreſcet, an in ſublimi; coruis, an vermibus eſca futura, penitus neſcia.

Labuntur interim dies, & vna locuples hebdomade puſio (ſi ita feliciter vt Chriſtianâ naſceretur origine ſumma bonitas arriſerit) admirandæ regenerationis lauacro, vt Chriſtianum, abiurato diabolo & ſæculi pompis, induat, mergitur. Alieno ore loquitur, non propriâ, ſed alienâ credens fide iuſtificatur. Ex Chriſti inſtitutione vim habens elementum aquæ & ſupernaturaliter eleuatum, exteriorem hominem tangit, & interiorem animæ maculam abluit: peccato veluti diluuio

quodam obruto & ſubmerſo: primâ gratiâ totam & inſtaurante & roborante naturam; vt in ipſo vſus rationis diluculo auerſans creaturas, ad Creatorem ſecurius cõuertatur, ſacræ functionis & miſterij omninò neſcius.

Paululum deinde ætate prouectior eſt & ſolidior, ſed non felicior, perpetuò miſer. Nihil ei penè natura largitur, quod aculeo ſuo careat: beneficium calamitate locat, nec liberalis niſi cum flagello: phlegmate enim per gingiuas deſcendente, ex frigiditate ſpiſſato & durato, natura dētes molitur; ſed cum dolore, bis infelix ſic infirmus: deguttantibus enim lachrymulis & eiulatu teſtatur dolorem & queritur, quod ſolùm poteſt, loquelâ non poteſt: niſi lachrymas cum vagitu loquelam appelles. Sibimetipſi grauis, matri dulcis adhuc ſarcina eſt; alienâ manu comedit, alienis pedibus ambulat: donec tandem longo ægritudinis oneratus curriculo, imbecilli robore, robore tamen, terram non ſine magna corporis vexatione radat: mox quadrupedum more ſolum vexat potiùs, quàm inceſſu terat. Demum tremulis inceſſibus, manibuſque alienis furtim ſuffultus, ſtat in pedes: parietibus, ſcabellis, & quibuſcumque obuijs veluti ſcipionibus innixus. Donec cum exiguis quibuſdam inarticulatæ vocis veſtigijs mens ſublucere incipiat;

cipiat;

cipiat: ſed paucis adhuc phantaſia picta eſt figuris, intellectus debilis, nihil memoriæ creditum. E graui quodammodo ſomno nonnihil expergefactus, nec altùm ſtertit, nec plenè vigilat; dormitare puſionem dixerim, præteritorum penitus ignarum, præſentium parum capacem, futurorum nihil prouidum. Cùm nihil didicerit, parum, aut nihil ſapit; tantum enim quiſque ſapit, quantum didicit: vnde continuò adhuc tutore indiget & inſpectore; ad vndas, ferrum, flammas, & noxia quæque ſine diſtinctione audax, nec periculum timet quia non videt; diſcretio enim nociuorum & inſtructione, & experientiâ (quæ non habet) comparatur.

Secedente interim nebulâ, & obſcurâ caligine, ſerenior mentis ſuccedit tempeſtas; fugientibus cunis, & latebroſa infantia in puerum euadit; ex vmbra veluti hominis in pleniorem hominem: & nos igitur relictâ infirmitate ad ſaniora, à cunis ad nuces, Pueritiam inſpecturi, tranſeamus.

CAPVT IV.

Scena Pueritiæ.

PVnctum eſt quod viuimus, ait Seneca, *& adhuc puncto minus, ſed hoc minimum, ſpecie quâdam longioris ſpatij, natura deriſit: aliud ex hoc infantiam, fecit & pueritiam, aliud adoleſcentiam, aliud inclinationem quandam ab adoleſcentia ad ſenectutem, aliud ipſam ſenectutem.* Hæc omnia quaſi annus vnus ſunt, circuitus vnus ſunt: vna graduum diuerſitas: & annus enim pueritiam ſuam, adoleſcentiam, virilitatem, & ſenium ſuum habet: & homo ſuum Ver, Æſtatem, Autumnum & Hyemem: Pueritia ſiquidem humanæ ætatis Ver eſt, adoleſcentia Æſtas, virilitas Autumnus, ſenium cana Hyems. Habent enim & Ver & puerita ſuum temperamentum, æſtas & adoleſcentia ſuum ardorem, autumnus & virilitas ſuam maturitatem, ſenium & cana hyems ſuos morbos, miſerias, tempeſtates & ventos. Quod in Vere ſeminaueris pleno quaſi cornu effundit Æſtas, matureſcit in Autumno & carpitur, non niſi anni ſenio, canâ Hyeme fruimur. Quod plantaueris in puero viuit & viget in adoleſcente, in viro quaſi autumno plenè coquitur, & ſequitur ſenem

ſenem quandoque vel inuitum, ſecundùm vulgare illud:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem,
Teſta diu. ——

Quicquid in puero ſeminaueris hoc & metes. Errore in principio cõmiſſo non aliquid mali euenire impoſſibile eſt, ſecundùm illud Leonis: *Difficile eſt vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.* Niſi accedat diſcretio, deterior erit puer quo tenacior: dum, ſibi nequam, omnium ignarus, omnium curioſus eſt: moleſtiſſimus interrogator, in omnem ætatem nocitura vno verbo bibit, nec memoria niſi cum morte ponitur; ſemel vidiſſe ſemel audiſſe æternum eſt: ſemel hauſiſſe venena ſemper eſt. Bene in hanc ſententiam Hieronymus: *Difficulter eraditur*, inquit, *quod rudes animi perbiberunt: & lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet?* Inter nuces, iocos & nugas, inter deliramenta ſeniorum, quandoque etiam parentum incautiùs agentium, videt venenum, & pro facultate ingenij ſuſpicatur & ſentit, cùm

—— *Velocius & citius nos*
Corrumpant vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeant animos authoribus.

Mox itaque corruptelas pariter & ſeniorum. & ſuas prodit: maturiorum mores puero-

rum

rum luſus fiunt. Liberiore contubernio apud coëtaneos ſubcineratam metu extollunt ceruicem, & prono curſu, excuſſis habenis, incognitâ *Scenâ* doctorum ſuorum deliria ridiculè ludunt, infamiæ eorum interdum non leue momentum. Nec premere hæc pueri poſſunt, qui ſimulare non didicerunt.

Reuerà diſtinctiùs intuenti ex ipſis puerorum luſibus prouectiorem inſania manifeſtabitur, eorum quidem nos nugas ridemus, ſed in ipſis prauos noſtros mores & affectus: Forum & plateas inſpiciamus, & quid in orbis theatro agatur palam erit; aduertemus in pueris quod mores omnium arguat. Opportunè Romanus Sapiens: *Non ideò quicquam inter illos puerosq; intereſſe quis dixerit, quod illis talorum nucumq; & æris minuti auaritia eſt, his auri, argenti & vrbium: quod illi inter ipſos Magiſtratus gerunt & prætextam Faſceſq; ac Tribunal imitantur, hi eâdem in campo Foroq; & in Curia ludunt: illi in littoribus arenâ congeſtâ ſimulacra domuum excitant, hi vt magnum aliquid agētes in lapidibus & parietibus ac tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta, in periculum verterunt.* Quid verius? nec Martis furor ſine ſtigmate eſt: bella maturiores gerunt? etjam feroces Pigmæi arma crepant, militares ordines, inſtructas acies bacillo & ſilice ſuperbi (quis non rideat) ſincero æmulantur

ſpiritu, & ne quid iuſti belli Bellonæ pugiles ſugillare intermittant, acri prælio inter regiones vrbis virili zelo decertatur (videt hæc indoctum vulgus & magnam ceruicibus imminere belli tempeſtatem ſerio ominatur) dirempto certamine cum armis odia non ponunt, prior concurſus inſequentium ſemen eſt, ita petulantes ſimiæ ſinceri belli ludibrio auidiſſimè inſaniunt; & ſic qui infantiam, id eſt, ſomnum exuit, puer ſimiam & affectuum etiam ſuorum incautum & ægrum proditorem induit: ſuipſius minimus zelator, in amica naturæ, beſtiarum more, ruens, prauitatis propriæ procliuitatem aperit. Verè Lyricus:

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, & ponit temerè, & mutatur in horas:

Hinc quantùm directore indigeat pullulante omni ex parte nequitiâ, palam eſt: hoc noſtro præſertim ſæculo, ad quod potiùs illud Ciceronis traham: *Simulatque nunc editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur.* Et illud Horatij:

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quantum

Quantum ferè in exili corpuſculo pueritiæ eſt, tantundem & nequitiæ, eructat aſtutus iam puer quæ ſenem latent, inter talos & globulos temerè effutit quæ pudeant maturum. Senes, quos reuereri ętas & ratio ſuadet, ludibrio ſunt; caluitium inſtar monſtri (ad faſtidium audaces) inſolenter ludunt: ad ſapientiam & litteras (infelices labruſſæ) vix etiam flagellis coguntur.

Atqui hi quidem animi morbi ſunt, Dijs ſuis Achiuos non priuabimus, videamus ſítne felicior valetudine pueritia, quid dicam? miſeria hominem nunquam deſerit, vbicumque homo eſt, miſeria eſt. Puerile etiam corpus pertinax infirmitas demolitur: continuâ ferè ſcabie, puſtulis, vlceribus, & vermiculis plerumq; hinc fertili, ſed moleſto prouentu ſcaturientibus, perpetuò fædum & lacerum. Et ne quid nō laceſſitum ſit, ſi quid decoris eſt, acerrimo, ſed puerili morbo periclitatur. Inſalubres matricis quædam fæces ruptis maturo tempore repagulis iuuenile corpus infeſtant. Flacceſcit pulcher Hylas, febre præuiâ languidam morbilli cutem occupant: agminatim pullulantibus puſtulis plana corporis ſuperficies intumeſcit: agonizant, ſummo parentum mœrore, ſenſus omnes. Tandem (ſi ſenium in fatis eſt) deformi cicatrice facie omnibuſque membris pictâ, puerilis fugit peſtis.

eſtis. Ita firmum & ſtabile eſt quicquid in homine eſt. Sed in extremo iam Vere ſumus Æſtas propinqua eſt, adoleſcentiam inſpiciamus: & vbi remittitur nonnihil infirmitas corporis, videamus mentis.

CAPVT V.

Scena Adoleſcentiæ.

OMnium quidem affectuum homo ſedes eſt, ſed omnium affectuum feruor adoleſcentia. Hîc quicquid in homine eſt æſtiui ardoris, vehementia ruptis culmis effloreſcit, & latè ſe ſpargit: quicquid vitiorum in alijs remiſſum, in adoleſcente ſummum eſt. Hîc non furere & inſanire iam non eſt adoleſcentem eſſe: qui effractis habenis infruniti ad obuia quæque vitiorum ſcelera ruunt, generoſi ſunt, qui adultâ quâdam prudentiâ affectus moderantur, inertiâ torpeſcunt. Et quid inſanius? inſani nomen volupè eſt, dulce hilariter inſanire. Fingere malitiam oportet vt generoſi videantur. Expanſis velis omnium appetituum ſulcatur mare: temerè & audacter quouis vento, quâuis tempeſtate, infelices naucleri, periculis arrogantiores, naufragium non timent. Voluntas & appetitus pro ratione ſunt; Si lubeat, ſatis eſt,

licere

licere non trutinatur. Hianti ore, pleno gutture haurire ſcelerum venena, ſalubrè ducitur. Toxica falerna ſunt: laſſa inexplebilis gula nunquam ſatiatur: quod delicatius laruatum eſt, gratius eſt. Si quid infelici palato pro tempore non ſapit, in ſexcentis luciniarum ferculis eſt quod placeat. Et quid aliud quàm impij illi Sapien. 2: *Fruuntur quæ ſunt bonis, & vtuntur poſſeßione tanquam in iuuentute celeriter, voluptatibus implentur, & ne prætereat flos temporis, coronantur roſarum caliculis antequam marceſcant, nemo expers eſt eorum ſtrenuitatis. Vbique relinquunt ſigna lætitiæ, quoniam hæc pars eorum & ſors talis: non reuerentur canos multi temporis, circumueniunt eum qui improperat eis præcepta legis, & diffamat in eos peccata diſciplinæ eorum.* Quid dicam? quicquid in mentem venerit, qualecumque fuerit, agunt: quicquid in buccam, ſine reſpectu temerè effutiunt. Atque hæc deteriora ſunt quod perpetuo perſonata, virtutibus vitia ſint: ſub iſtarum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur, malum bonum eſt, & bonum malum: nihil ſani, & ſana omnia: nihil ſtabiles, tamen conſtantes ſunt: optant contra id quod optauerant; pugnant vota cum votis, conſilia cum conſilijs, tamen ſemper iidem ſunt: in
nudo

nudo & raro aëre caſtella moliuntur, & tamen prudentes ſunt: impetu appetitus circumaguntur, & tamen firmi ſunt: ſordidæ araneæ è floribus venena ſugunt, nitidæ tamen & caſtæ apes ſunt. Et hoc quidem malos ſequitur, quos indiſcreta & vniuerſa vitia circumſtant.

Sed quid? Vt Polypum deſcribam, oportet omnes colores induere. Vnde exordiar? ſtultorum plena ſunt omnia: ſiquidem vitio non vacare malum ac ſtultum eſt: omnia autem in omnibus vitia ſunt, quamuis non omnia in omnibus extent. Hunc natura ad auaritiam impellit: hic libidini, hic vino deditus eſt, aut ſi nondum deditus, ita tamen formatus, vt in hoc illum mores ſui ferant. Effigiem omnium in ſingularem *Scenam* dabimus, vbi Vitij & Vitioſi ſtatum priùs deſcripſerimus.

CAPVT VI.

Scena Vitij.

MOnſtrum vitium eſt, & adamatur; Chymæra eſt, & concupiſcitur. Ita vile, ita deforme, vt peſſima vitioſorum pœna vitium ſit: Certè turpitudinem impotens calamus vt deſcribat impoſſibile eſt. Aliud quicquid molia-

tur, fœdi vitij elogium verius non dabit quàm ſi vitium, vitium dixerit. Lætiſſimis tamen amplexibus cum vitio, hoc eſt ipſa deformitate fornicamur: &, tolle excuſationem, nemo inuitus. Omnium aliarum artium peccata, artificibus pudori ſunt offenduntq; deerrantem: vitæ peccata delectant. Non gaudet nauigio gubernator euerſo, non gaudet ægro medicus elato, non gaudet orator, ſi patrocinij culpa reus cecidit. At contrà omnibus crimen ſuum voluptati eſt. Lætatur ille adulterio, in quod irritatus eſt ipſâ difficultate: lætatur ille circumſcriptione furtoque: nec ante illi culpa quàm culpæ fortuna diſplicuit. Non ignoratur turpe ſed negligitur. Omnes peccata diſſimulant, & quamuis feliciter ceſſerint fructu illorum vtuntur, ipſa ſubducunt. Fallunt autem, ſeipſos inſipidi homines, dum aut temporibus, locis, & rebus vitia aſſcribunt. Rectè ad Lucilium ſuum Stoicus: *Spero te ſic iam viuere, vt vbicunque eris, ſciam quid agas. Quid enim aliud agas quàm vt meliorem te ipſe quotidie facias, vt aliquid ex erroribus ponas, vt intelligas tua vitia eſſe, quæ putas rerum? Quædam enim locis & temporibus aſſcribimus: at illa quocunque transierimus, ſecutura ſunt. Harpaſten vxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim auerſiſſimus abiſtis prodigijs ſum. Siquando*

fatuo

fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus: me rideo. Hæc fatua ſubitò deſijt videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. Neſcit eſſe ſe cæcam, ſubinde Pædagogum ſuum rogat vt migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum: cæci tamen ducem quærunt: nos ſine duce erramus, & dicimus, non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter Romæ poteſt viuere. Non ego ſumptuoſus ſum, ſed Vrbs ipſa magnas impenſas exigit. Non eſt meum vitium quod iracundus ſum, quod nondum conſtitui certum genus vitæ, adoleſcentia hæc facit. Quid nos ipſos decipimus? Non eſt extrinſecus malum noſtrum: intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet, & ideò difficulter ad ſanitatem peruenimus, quia nos ægrotare neſcimus. Aurea hæc & veriſſima, nos enim tanquam in cauſæ examine poſiti quid agendum diſcutimus, & fucum faciente vitio perditè, nobis fallaces, in deteriorem partem declinamus. Si conuiuandum, ad conſeruationem honoris eſt & ſtatus: ſi potandum, exigit amicitia & honeſta recollectio: ſi luxuriandum, adoleſcentum impetuoſus feruor vrget, etenim

Aut Deus, aut lapis eſt, qui non iuueniliter ardet.

Nullus iam auarus eſt, frugales ſumus, poſteris prouidendum: exulat orbe toto ſuperbia, ſeruanda grauitas eſt & authoritas.

Extra noſtrum horizontem ambitio eſt, honeſtè aut Reipublicæ aut nobis proficui ſumus. Fugit veſtium luxus, conſuetudo peccatum expulit, nitidi ſumus: nemo iam iraſcitur aut vindictæ zelo accenditur, defenſio honoris eſt, aut ne inſultetur, auertimus. Hæc vulgo iam obuia ſunt; pallio vtuntur omnes vt opertâ vilitate honeſtiùs ambulent: at quò curioſiùs tecti, eò deteriùs habent, nec tollitur vulnus quod tantùm obducitur. Benè Pythagoras: *Sicut corporis morbus abſconditus aut laudatus non ſanatur, ſic nec animæ cui malè patrocineris aut defendas.* Sed commune hoc vitium eſt: naturâ enim, neſcio quomodo, ferimur, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Exclamat vulgus, ô tempora, ô mores! & ipſum vulgus quos lamentatur, mores corruperunt. Nec quæ crepat tempora ſatis intelligit: quaſi verò nouum quid accidiſſet. Non vnius ſæculi vitium eſt; cum mundo cœpit & homine: & ſi curioſis calculis emetiaris, quæ ſæcula præferas? habuit ſuperbia ante annorum, (vt ita dicam) millia, ſuos Pharaones, Antiochos, Caligulas. Auaritia ſuos Craſſos, Mydas, Veſpaſianos. Luxuria ſuos Helyogabalos, Sardanapalos, & infelices Sodomas. Gula Lucullos, Cleopatras &c. portenta potiùs quàm homines. Laudabiliter Romanus Philoſophus: *Erras, mi*

Lucili,

Lucili, ſi exiſtimas noſtri ſæculi eſſe vitium luxuriam & negligentiam boni moris, & alia quæ obijcit ſuis quiſque temporibus. Hominum ſunt iſta non temporum: nulla ætas vacauit à culpa, & ſi æſtimare licentiam cuiuſque ſæculi incipias: pudet dicere, nunquam apertiùs quàm coram Catone peccatum eſt. Credat aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo iudicio in quo reus erat Clodius, ob id adulterium quod cum Cæſaris vxore in operto commiſerat, violatis religionibus eius ſacrificij quod pro populo fieri dicitur, ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris vt picturæ quoque maſculorum animalium contegantur. Atqui dati iudicibus nummi ſunt: & quod hâc etiam pactione turpius eſt, ſtupra inſuper matronarum & adoleſcentulorum nobilium ſalarij loco exacta ſunt. Minus crimine quàm abſolutione peccatum eſt. Adulterij reus adulteria diuiſit, nec ante fuit de ſalute ſecurus, quàm ſimiles ſibi iudices ſuos reddidit. Et poſt nonnulla: *Credis ſpectaſſe tunc homines ſecuriùs quàm iudicaſſe? & fient & facta ſunt iſta: & licentia vrbium, aliquando diſciplinâ metuq́ue, nunquam ſpontè concidet: omne tempus Clodios feret, ad deteriora enim faciles ſumus.* Quod nos ploramus, de ſuis ſinguli ſæculis lamentati ſunt, antiqua hæc Sapientis Romani de ſuo vox eſt, & quid nos aliud de noſtro? *Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine: maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt. Expulſo*

melioris æquiorisq́; reſpectu, quocunque viſum eſt libido ſe impingit. Nec furtiua iam ſcelera ſunt: præter oculos eunt. Adeóque in publicum miſſa nequitia eſt, & in omnium pectoribus eualuit vt innocentia non rara ſed nulla ſit. Nunquid enim ſinguli aut pauci, rupêre legem? Vndique velut ſigno dato ad fas nefasq́; miſcendum coorti ſunt. Et quid nos aliud quam ille,

——— **Non hoſpes ab hoſpite tutus:*
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt,
Imminet exitio vir coniugis; illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ,
Filius ante diem Patrios inquirit in annos?

Vetulum itaque vitium eſt, ſed & vegetum vixit, viuit, viuet, quoad homines fuerint: ipſum ſiquidem immortale eſt: cùm tamen hominem mortalem reddiderit. Sed efficaciam monſtri videamus.

CAPVT VII.

Scena Vitioſi.

SEcuritatis magna portio eſt nihil iniqui facere*, ait Seneca, & quídni? Imò ipſa ſecuritas: ego bonæ conſcientiæ hominem vt terreſtre quoddam Numen ſuſpicio, interritum periculis, inter aduerſa felicem, in medijs tempeſtatibus placidum, ex ſuperiori loco homines videntem, ex

æquo

æquo Deum, animo excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quicquid timemus ridentem. Nota ſunt illa Horatij & vera:

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolidâ, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Secutus nimirum conſilium

——— *Rex eris, aiunt,*
Si rectè facies: hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.

Sine vitio ergò felix es & tutus; ſi belluam admiſeris, miſerrimus & ad motum quidem folij trepidus. Tribunal quo perpetuò accuſeris intra te eſt, à iudice domeſtico condemnaris, continuus tui ipſius carnifex; hinc Polybius: *Nullus neque teſtis tam formidabilis, neque iudex tam grauis, quàm conſcientia quæ mentibus cuiuſque inſidet & inhabitat.* Quamuis praua foris videatur audacter agere, de his tamen apud ſemetipſum peruerſus cogitur trepidare, atque cùm illicita perpetrat, pauet quod facit, & apertus damnationis teſtis eſt ipſe timor iniquitatis, quia & timetur quod

agitur, & tamen malum non vincitur quod timetur. Scit idem ille malum eſſe quod agit quod videri ab alijs veretur, & dum de facto ſuo conſcientiam pulſans timor redarguit, ipſa ſibi teſtimonium perhibet damnabile eſſe quod agit. Hinc Satyricus:

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet authori: prima eſt hæc ultio quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur.

Quære latebras, vt vindicem tuum ludas, conuiuare, ad Garamantas & Indos fuge, fac quicquid vitioſa prudentia ad vitij obliterationem, & allatrantis conſcientiæ mentis obturationem ſuaſerit, crede mihi, nihil proficies, qui tortorem tuum circumfers: nullum enim iter eſt quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus, ſiſtat: aut ſi quod eſſet agmine facto gens illuc humana pergeret; tam diu iſta vrgebunt mala, macerabuntque per terras & maria vagum, quamdiu malorum geſtaris cauſas. Fugam tibi non prodeſſe miraris? tecum ſunt quæ fugis, licet vaſtum traieceris mare, licet (vt ait Virgilius)

——— *Terræq; Vrbeſq; recedant,*

ſequentur te, quòcunque perueneris, vitia. Hoc idem cuidam quærenti Socrates, ait: *Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodeſſe? cùm te circumferas. Premit te eadem cauſa quæ expulit.* Elegantiſſimè itaque Stoicus: *Con-*

fuſau.

fuſam vitam & perturbatam impotentes agunt. Tantum metuunt quantum nocent, nec vllo tempore vacant, trepidant enim cùm fecerunt, hærent, conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat pœnas quiſquis exſpectat; quiſquis autem metuit, exſpectat. Tutum aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum: putat enim ſe, etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi, & inter ſomnos mouetur, & quoties alicuius ſcelus loquitur, de ſuo cogitat, non ſatis illi obliteratum videtur, non ſatis tectum, nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam. Conuenienter huic ab Epicuro dictum eſt, Epiſt. ad Menæcea: *Non eſt vt quiclam aliquid facit, confidat latere ſe ſemper, etiamſi millies in præſenti lateat, vſque ad finem enim incertum eſt an latebit.* Mala itaque facinora conſcientiâ flagellantur, & plurimum illi tormentorum eſt, eò quod perpetua illam ſollicitudo vrget, & verberat. Dicam cum Pythagora: *Plura mala patitur à conſcientia, is qui iniuſtè fecit, cruciatus: quàm qui in corpore flagellatur & plagis afficitur.* Si coorto calore, ruptis nubibus, tonitru edatur, ſcelerum ſuorum vindictam metuens vitioſus anguſtiatur: ſi in periculo mortis eſt, naufragij ſcilicet, latronum, aut etiam occurſus ferarum, votis & verbis Deo ſupplex, diuerſus animo conſuetudine deprauato, externâ ſpecie ludere Deum,

mentiri pœnitentiam, fuco traducere Dei potentiam conatur: quid enim aliud agit? fingit conuerſionem qui auerſus eſt: impoſſibile enim ei videtur, etiam dum cum ipſa quaſi morte luctatur, cum eo cui aſſueuit vitio, non fornicari. Euaſo periculo ad modicum perſonam egiſſe ipſa acta declarant. Nec dies ſecuras nec noctes patitur, horret & amat æquè tenebras, ſolitudinem quærit, ſolitudine terretur: proprium enim nocentium eſt trepidare. Nota iſtius Tyranni Hiſtoria eſt, qui vitijs ſuis anxius capillos (nullius dextræ fidens) ſibi adurebat, coquebat etiam ſua, cocus & Rex. Et alterius cuius filiæ id oneris ſuſceperant & Chirurgorum officio proles Regis decoratæ. Quid? ferrum lateris ſui timent.

Cuncta expaueſcunt ſeque non credunt ſibi.

Parietes adeò & domus ſuæ tecta, lectum, menſam etiam ſuam timent: & quæ in tutelam alijs, ipſis in metum ſunt. In fronte ſcelera ſua legi arbitrantur, ita proditor ſui ſcelus eſt. Si ab inſcijs crimen, quo inquinatus eſt, taxari audiat, mouetur,

——— [*Ni tamen omnem*
Iecerit ex animo, poſitâ virtute pudorem.]

Sermonem autem confuſus, ambagibus quibuſdam vt poteſt honeſtis aliò detorquet. Si à non longè ſtantibus rideatur, de ſe ſermo-

nem

nem eſſe ſe deriſum exiſtimat: quod enim quiſque meretur, hoc timet. Notabile ſomnium Apollodori eſt in Plutarcho: *Narrant*, inquit, *Apollodorum aliquando in ſomnis vidiſſe cutim ſibi à Schytis detrahi: deinde elixum ſe, & cor ex ipſo lebete ſibi tacitè dicere: ego tibi horum ſum cauſa*: Et reuera ſic eſt, ſummum ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.

CAPVT VIII.

Scena Superbiæ.

SVperbia peruerſæ celſitudinis appetitus eſt, qui omnem dementauit hominem; profecit vt limites deficiant: quis eſt qui non aut faſtu turgeat, honorem ambiat, ſcientia inflettur, laudes non ſitiat, aut quæ ad excellentiam ſui conducere arbitretur, verbis aut vultu non oſtendat? Nihil magis obuium. Nullus reuera dies tranſiјt, quo vana hæc deliria non aduerterim. Et laude dignis & laude indignis extollimur: inſpice ſingulis congreſſibus mores hominum & ride cum Democrito: fallax ſum niſi omnium actiones ſuperbiam ſpirent: etiam in vmbra ſplendor quæritur. Omnes prudentes ſumus, omnes prouidi, omnes docti, omnes intelligentes, & verbo, vt abſoluam, omnes omnia ſumus: nemo erraſſe ſe fate-

tur;

tur; rationabiliter ſinguli egerunt. *Cætera vitia in malefactis valent, ſola ſuperbia etiam in rectè factis eſt cauenda,* inquit Auguſt. Immutat hæc virtutes & euertit: ſubtiliter piorum orationibus ſe inſinuat; hinc videas non rarò robuſtiſſimos virtutis Athletas, longâ temperantiâ, iuſtitiâ, fortitudine ſolidatos, ſanctis in rebus aut faſtum aliquem, aut inanem gloriolam ridiculè aperire: pauci veri Palæſtritæ ſunt, quos pertinax hoc malum etiam ad ſepulchrum non comitetur: quemadmodum enim cor in animali & homine, (vt Phyſici dicunt) primum viuit & vltimò moritur, ſic & ſuperbia innata & agnata nobis viuit primò, moritur vltimò. Adeóque in cucullo, humilitatis quandoque larua, quod altùm ſapiat inueneris. Cæterùm hæc in viridi ſi fiant, in arido quid fiet? Elatus animus extra hominem abit, nec amplius capere ſubiectum, ſanâ mente, aſcendentes æſtus excellentiæ flammas poteſt, exesâ ratione inſanus fit: videamus inſaniam & rideamus.

Menocrates Medicus hanc vnam ab eis quos curabat mercedem poſtulabat, vt liberati ſe ipſius ſeruos faterentur, eumque Iouem dicerent: hinc ſcripſit ille ad Regem hoc titulo, *Iupiter Menocrates Ageſilao Regi ſalutem.* Riſit, vt par erat, prudens Rex & reſcripſit

ſcripſit vt oportuit, *Ageſilaus Rex Menocrati ſanam mentem.* Caius Caligula Imperator, Deum ſe, & cum Luna rem habere inſinuabat. Sed audiamus rationem tumidi hominis: *Ouium paſtor non eſt ouis, boum paſtor non eſt bos, nec caprarum capra, ergò hominum paſtor non eſt homo: quid ergò? Deus.* Fecit itaque ſe Deum, Deorum inſignia, Mercurij caduceum, talaria, chlamidem. Apollinis radiatam coronam, arcum & ſagittas. Martis thoracem, gladium & clypeum: eâque ratione Diuinitatem oſtentabat; ita veſanus homo, homines pecora faciebat, vt ſe faceret Deum. Vlteriùs autem impius Pharao: *Meus eſt fluuius Ægypti,* inquit, *& ego feci memetipſum.* Gentiles iſti. Vis Chriſtianum? Canutus Rex Daniæ & Angliæ, ſedili in littore poſito eructaſſe fertur: *Mare regni mei pars es, itaque mihi obtemperes.* Sed qui rationem poſuerat, à muto doctus, & ad rationem coactus eſt; Oceanus enim mox impetu facto ſinum eius vndis perfudit: territus ille de ſolio proſiliens: *Vana,* inquit, *Regum omnium poteſtas, ſolus Deus omnipotens.* Quid præſumptuoſa ſuperbia non moliatur, monſtris illis pleniùs elucidatum eſt. Verumenimuero

Dominare tumidus ſpiritus, altos gere:
Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

Nullus eorum vindictâ caruit, nec carebit vnquam

vnquam inflatus: ſuperbis enim reſiſtit Deus, humilibus dat gratiam, deponit potentes de ſede, & exaltat humiles. Et quid aliud ſapiēs Æſopus? rogatus à Chione quid faceret Iupiter; *Excelſa deprimit*, aiebat, *extollit humilia.* Senſerunt enim gentiles ſuperborum ſpeciale Dei odium. Hinc Artabanus Xerxi: *Gaudet Deus eminentiſſima quæque deprimere, quia neminem alium quàm ſe ipſum ſinit de ſe magnificè ſentire.* Hinc ſuperbiſſimos quoſque fædiſſimè labi ſingulæ ferè horæ teſtantur: bis infelices quod humiliari nō didicerint. Violenter premit & incuruat elatos humeros fædus caſus, viliores & contemptiores præcedenti faſtu; nullus eorū miſeretur: applaudit caſui grato quiſque cachinno, imò ſuperbus ſuperbum ridet: nec enim in alio elatum animum tolerat quo ipſe in tranſuerſum agitur. Hinc inter ſuperbos ſemper iurgia: adeòque ſuperbum eſſe pœna ſuperbiæ eſt. Et reuerà ſi aduertimus, continua ferè flagella ſuperbiæ circumferimus. Faſtuoſo ſupercilio ſingulis præeſſe nitimur, qui ridiculè multis pulicibus ſubdimur: & firmum ſcilicet iſtud corpuſculum, quo ita nobis abblandimur, inconcinnus rodit pediculus: iiſdem organis quibus faſtum etiam fæditatem ſpiramus & infirmitatem: oculi lachrymas, os ſaliuam, aures, nares, nates quid eijciāt, in manifeſto eſt.

Sic

:altos vertices perpetua quædam tondit
uacula. Reliquis in delictis temporali pœ-
parcum Deum experimur, ſuperbiam tan-
ım ſibi iniurioſam, pœnâ ſemper tempo-
i auerſatur:

mque humiles animos oculo ſolet ille benigno
ıicere, & faſtu hominum calcare ſuperbos.

Nec mirum maximò vitio maximè illudi.
perbia centrum eſt à quo exeunt lineæ ad
:umferentiam omnis iniquitatis. Ergò

——— Heu gloriâ inani
fuſum mortale genus faſtuque proteruo!

CAPVT IX.

Schena Ambitioſorum.

PAuci ſuâ ſorte contenti viuunt: im-
moderatus ratione honoris, dignitatis,
appetitus omnium penè mortalium
pectoribus expugnâtis ampliſſimè di-
auit imperium. Omnes culmen & præemi-
ıtiam affectamus, vt pulsâ obſcuritate cel-
re loco ſublimes inane nomen toto diua-
:ur orbe. Omnes à ruſtico, à mendico, à
uo & mancipio: ad Principes, ad Reges, ad
peratores maiora molimur: ambitioſus e-
n nunquam ſatiatur animus, etiam cùm
c quod ita auidè eſurierat, deglutierit. Ci-
es? Patriciatum deſideras: Patricius?
nobili-

:rro ad flexuram coguntur capilli, naturæ ım facientes, cùm à natura ſua alienos ſe ve- nt. Quorundam tanta ınſania eſt, vt pro- ırios crines deſpicientes, emptitijs ſuper- ıant: quos verè alienis plumis formoſos lixerimus. Nonnulli inæqualiter raſi ad ſi- ıiſtram auriculam proiectioribus capillis ho- oſericum innectunt: alij amicarum ſuarum apillos (fauoris nomine deriſos) ijſdem in- ıodant. Optimè vt ſolet de hac inſolentia Annæus: *Quid capillum ingenti diligentiâ comu? ùm illum vel effuderu more Parthorum, vel Ger- nanorum modo vinxeru, vel, vt Schitæ ſolent, ſpar- erù in quolibet equo denſior iactabitur iuba, hor- ebit in Leonum ceruice formoſior.*

At quid noſtræ Belgicæ Veneres? veriſſi- num de ipſis quod Terentius:

Dum poliuntur & comuntur, annus eſt.

Omne propè antemeridianum tempus ca- pillorum compoſitione prodigitur, nec antè lluſtriores regiones vrbis frequentare au- dent, quàm ab hac formæ lenocinium, admi- rationem & oculos hominum ſperent. Raro omnis capillatura tegitur, eſt plerumque, quæ in temporibus leui vento agitata laſci- uiat, & Mænadis cuiuſdam inſtar ſubſultet. Quid? familiare his nothis & adulterinis crinibus verticem ſtruere, vt videantur in fronte erigere crinium faſtigia & turres, ne- ſcio

ſcio quibus non fulcris: de quibus rectè Iuuenalis:

—— Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Et interim leuitatis & impudicitiæ ſuſpicionem non effugiunt. Audiamus Ouidium de Claudia Veſtali:

Caſta quidem, ſed non eſt credita. Rumor iniquus
Læſerat, & falſi criminis acta rea eſt.
Cultus & ornatos variè fudiſſe capillos
Obfuit.

Certè ego ad honeſtatem nullâ ratione ducere poſſum, cùm citra honeſtatem ire videatur, quod ad nullam rem bonam pertinet, niſi quis vanam gloriam ad honeſtatem trahat.

Sola iam barba de excrementis ſupereſt, ſed ea, vt paucis crinibus veſtitas genas & mentum ad viuum deſcribere impoſſibile meritò videatur. Neque enim ego Polypum tot coloribus fallere cenſuerim quot viri modò barbis ſuperbiunt. Omnium gentium, omnium nationum etiam barbariſſimarum barbas, & quicquid vllo ſæculo è gente in barba luſit barbarum curioſè indagare opus non eſt, in vno Belgij oppido obuium erit: *Nam & plus nunc in barba*, ait Politico-chriſtianus, *quàm in capillis luditur, forcipe, nouaculâ, pectine, ſpeculo, calamiſtris, manibus, balneis,*
odoratis

doratu vnguentis. Huic labrum ſuperius ſilueſcit, hic horreſcit & colitur, illi ſub naribus ludunt capilli, erecti, vtrimque protenſi, remiſſi, criſpi, neglecti, in ſe reflexi & retorti, ſubſternunturq; naribus tanquam prata rorem ſitientia, inde os & labra integunt, quaſi non ſatis ſit ſemel bibiſſe, bibitur à barba. Prominet hæc alijs vel in latum ſparſa, vel in acumen coacta, vel in orbem tonſa, bifurcata alijs, alijs vt in ligonem acta, ad cutem non paucis deraſa, vt radant etiam quicquid in vultu capillorum eſt. Credas nolle videri viros, ita inueſte illis mentum eſt, inueſtes genæ & feminâ dignæ: nonnullis in ſolo ſuperiore labro, alijs in mento etiam tenues rarique ludunt capilli, vt ætatem mentiantur. Prolixior alijs barba in pectus fluit: neſcio an non tota in barbam delapſa prudentia ſit. Nulla dein dies abit alijs ſine forcipe, ſpeculo, pectine, adeò vt vix momentum quibuſdam liberum à barba ſit, defatigatur hæc manibus, delaſſatq; manus. Verbo, ſenſu quiſque ſuo aptata barba decori ſtudet: quod autem aptari nō poteſt, quemadmodum natiuus color, excæcante eos gloriâ, elegans iudicatur. Qui rufam habet, rufam præfert; qui fuſcam, rufam præ ſua deſpicit. Et ſic quemque conſequenter delectat & decipit quod fugere nullâ ratione poteſt. Obuia hæc quotidie ſunt; & ebullientem non infrequenter iam iam cachinnum, vix ipſo, quod conciliaturus eſſet odio

compeſce,

compeſcere & ad conſuetam malaciam ſedare poſſum.

CAPVT XII.

Schena Luxus veſtium.

SI ad ſua quæque principia reduxerimus, nihil penitus luxus materiam iudicauerimus. Linum inſpice, lanam, ſericum, aurum, argentum, gemmas, & quæcumque tandem ſtudioſa & prodiga luxuries quæſiuit. Quid hæc? linum adfers: effundit cum fænore cannabi linique terra receptum ſemen, quod vbi maturum collegerit mulier, purgauerit, & per otium fila quædam è colo duxerit, textori defert ipſo ſuo opificio vulgo quidem inglorio: qui vbi vnum aliquid tædioſo labore compoſuerit, ita adhuc rude eſt vt ne placeat quidem: ſole tandem & aquâ ad candorem illum gratum & irritantem coactum Luxuriæ ancillatur. Quid lana? diuerſo etiam labore ad ſolidum quoddam compoſita ouium vellera & medicamentorum quorundam fuco colorata. Quid mollia iſta quibus ita diuitum greſſus laſſiuiunt? deformis inſecti vtero, tractæ ſordes. Aurum, argentum, Principes materiæ, cultus ſæcularis, vnde ſunt? *Terra ſcilicet parum glorioſior*, inquit rectè Tertullianus,

ianus, *quoniam in maledictorum metallorum fe-alibus officinis pœnali opere deplorata, nomen ter-æ in igni reliquit; & exinde de tormentis in orna-entum, de ſupplicijs in delitias, de ignominijs in onores metalli refuga mutatur. Sed & lapillos los qui cum auro ſuperbiam iungunt, & quibus ibil vnqnam pretioſius vllo ferè ſæculo iudicatum t, quid aliud interpreter quàm lapillos & calcu-s eiuſdem terræ minutilia? quæ tardè teruntur t niteant, & ſubdolè ſubſtruuntur vt floreant, & nxiè perforantur vt pendeant, & auro lenoci-ium mutuum præſtant. Sed & ſi quid de mari ritannico aut Indico ambitio piſcatur, conchæ enus eſt, non dico conchilio aut oſtreo: ſed nec Pelori-e gratius de ſapore, ad hoc enim conchas nouerim taris poma, quod ſi concha illa aliquid intrinſecus uſtulat, vitium eius magis debet eſſe quàm gloria, licet Margaritum vocetur, non aliud tamen in-lligendum quàm conchæ illius dura quadam & tunda verruca.* Hæc omnia quicquid ſunt, b æſtimatione hominum ſunt, ipſa autem ritate & peregrinitate gratiam poſſident, : luxus materia fiunt: omnia aliàs ſuis rincipijs vilia; ad quæ etiam non niſi per eccatum itum eſt, corruptæ & ægræ natu-e vitio indagatum, quod ſana reſpuerat. *ónne*, vt rectè inquit Politico-chriſtianus, *omo nudus & inueſtis figulo ſuo ſtetit? nónne lictæ veſtis folia & exinde pellis? quis nos docuit*

tunicas

tunicas pangere & ſerere, quis piſcari veſtitum, quis conchas comere? quis animatas ſtamine aluo bombices necare? quis herbarum ſuccis & concharum alueis incoquere lanas? exciderat nimirum Deo purpureas & coccineas oues condere: Quò non peccatum nos traxit? Certè delicti hæc monumenta ſunt, & reſpuunt qui ſanæ menti propiores fuerint: qui remotiores, ad ea confugiunt; hinc cùm ſtultorum infinitus ſit numerus, tam variè luxui inſeruitur.

Videamus capitis integumentum, quàm non colore varium & formâ! ipsâ raritate & peregrino nomine inſoleſcunt, pro cuiuſque cerebro limbis adaptatis: hi latè ſe ſpargentibus, illi recifis, iſti medijs delectantur. Nec ſic quidem luxui litatum creditur, redimicula adijciuntur, nec raro tam pretioſa, vt quæſijſſe videantur, quo compendioſè opes oſtentarentur. Adnectuntur ijs ab adoleſcentibus amicarum fauores, inſaniæ ſuæ publica & manifeſta ſigilla.

Iam quibus colla non cinguntur lacinijs? oſtendere pudor eſſe debuerat Chriſtiano quod oſtentat: centum coronatorũ induſtria, integrę veſtis pretium, frequentiſſimè in Aduocati aut Mercatoris vnius humeris ludit: tantum vna circumfert ceruix, tegendo non rarò puero ſatis reperies, ſi explices. Nunc arctantur, ac tanquam in contemptum artis impli-

nplicantur, ac quaſi mutuò opes inſepe-
untur. Hucuſque ventum eſt, nec termi-
um adhuc video. Quod Hiſpania, Italia,
:d vel maximè Francia quotidie ſomniat,
elgium quaſi cælo lapſum ilicò amplecti-
ır, leuiùs,quod omnium leuitates imitetur.

Veſtes verò reliqua, inquit bene Politico-
:hriſtianus, *neſcio an tegant, ſæpè ne pudorem
uidem: diſcingunt Thoracem, validè firmant;
bera oſtentant, ventrem deprimunt, protrudunt,
mittunt infra vmbilicum. Vix pectus claudunt,
nunc in orbem, nunc in acutum finiunt.* Verè
le, ſed non omnia: palam enim eſt quod
e integrum quidem thoracem patiantur,
ıultis ſciſſuris hiat, ne tenui telâ contextum
duſiolum oculos hominum fugiat, adeò
uicquid in corpore pretioſum velari non
nunt. Contiguis denique per circuitum ſe-
cis ligulis adornatur: & roſam in ipſo cor-
e in amicæ ſuæ honorem ſtultè figunt, ne-
:io quid tandem inſaniæ non commiſſuri.

Iam ſi caligas intueamur, mirabimur tam
arias vnquam excogitari potuiſſe. Audia-
us Politico-chriſtianum: *Huic infra genua
ndulæ, illi ſupra aſtrictæ, vix coxendicem tegit
lius, alius implet,non rarò fluidas & ad inuidiam
ateriæ contuberatas habent, quæ corpori vniuerſo
gendo ſufficiant, vt totam braccatam Galliam in
nas migraſſe caligas Iuuenalis aliquis dicere non*

 vereatur;

vereatur; taceo aurum, quo tam fatuè ſæpè onerantur ac integuntur, vt inſepultas auro meritò dixeris, quærimus nimirum non quo inuoluamur, ſed quo opes proijciamus.

——Vſque adeò fortunas perdere magnum eſt.

Nihil iam de tibialibus, huic ad tibias coactis, illi neglectim pendulis tanquam in contemptum decoris, dixero: nihil de faſcijs tibialibus nunc prementibus, nunc vltra etiam medias tibias pendulis, vt Mercurium, alis, pedibus ad volatum adnexis, pene mentiantur.

Ad calceos venio, ſed quales hi? *Cothurnos vincunt Scenicos*, inquit Politico-chriſtianus, *eriguntur in poſteriori parte, & tenui orbiculo terram calcant. Ita pudet pigetq́ integro calcare pede, & aſſurgit cuique calcaneus pro voto mentienda ſtaturæ, ita ſe libet & alios fallere. Variè deinde ſecantur, diſplicent nimirum integri. Veſtiuntur deinde mendaci roſâ, quæ quò latiùs ſe diffundit, hoc gratior eſt.*

Sed nihil magis, cum eodem admiratione & cachinnum mihi mouet, quàm troſſulos quoſdam ocreis & calcaribus videre, audire laſciuiẽtes, quibus ad equi hinnitum trepidare ſolitum. Equites mentiuntur, & dirigendo equo paramenta quædam quotidie circumferunt, qui ne ſpinam quidem equinam vnquam ſenſerunt. Et quæ non teme-

tas, ne dicam ſtultitia, non plateatim tan-
ım inambulare, ſed & in nauibus, in cur-
bus, in rhedis, ocreis & calcaribus armatos
ıtueri: ſed ad conſuetudinem iam deuen-
ım eſt, quæ pudorem etiam abſtulit.

Quid autem muliebris ſexus, quibus in-
enium omne & prudentia propè omnis in
eſtibus eſt? tantus fœminarum luxus, tanta
eſtium varietas, tam diuerſa plicatio eſt; vt
xplicare parem me ingenuè diffitear. Quis
nius inueſte caput & veſtitum, quis com-
oſitionem & ornatum, quis pretium & fle-
uras adæquatè aperiat! taceo de trunco
eliquo,

Non mihi ſi linguæ centum ſint oraq; centum,
ot ego flexuras ornatus dicere poſſem.

Attingam tamen paucula, ne omninò ta-
uiſſe videar.

Velatum caput eſt & non velatum, tenuiſ-
mâ Syndone & pellucidâ velant quidem,
d ita, vt flexuræ omnes, ornatus omnis,
retium omne, & compoſitio omnis oculos
ominum non fugiat, ſed irritet. Optimè
Iazianſenus, *Criſtam galeis ſimilem ferunt,*
oculiq; conſpicuam ſpeculam viris collucentem:
Cæſariem nimirum tenuiſſimo lino pellucidam, ſi-
mulq; occultam ac perſpicuam, ita vt manus opus
r labor appareat, tum videlicet cùm forma ma-
iſtram oculorum ſenſu carentem, hoc eſt, imagi-

nem vitæ expertem ſibi conſtituentes, pulchritudinis exemplum illinc petunt. Holoſericum, aurum, argentum & quaſcunque tandem oculis placituras illecebras, quoſcunquæ gratos fore colores duxerint, adaptatis comis innectuntur: omnium florum & roſarum generibus acu-pictis, quorum ars pretium ſuperat, non rarò vnum caput cingitur. Quæ argenteo deinde acu crinali non vtitur extremæ indigentiæ infallibilis nota eſt: eſurire ſiquidem paululum ventrem malunt quàm verticem non paſci. Quot non faſciolæ, quot non redimicula, & omnia pretio inter ſe certantia! quot non nodi & flexuræ! non poſſum aliud niſi verticem puellarum labyrinthum dicere, cui vel ipſe Theſeus explicando inerraret, niſi ab ipſis hiſce Ariadnis educeretur.

Ad auriculas deſcendo, quas ne inuiolatas quidem relinquunt: non ſecus ac liberti veterum Romanorum perforatas habent. Sed non nudum vulnus eſt, vt perpetuum ſit, annulis aureis, gemmis & vnionibus ſuperbis, fulcitur: nullus ſiquidem muliebri concupiſcentiæ ſufficiens theſaurus eſt, niſi è fluminibus aut animalium corporibus fluxerit. Gemmæ aliæ auriculis, aliæ collo, aliæ ceruici, aliæ zonæ, aliæ manibus adornandis aptantur: minutilia enim hæc non fundamentis domorum demandandis, non pa-

rietibus

rietibus moliendis, non faſtigijs ſuſtinendis, non tectis denſandis neceſſaria ſunt: ſed ſolùm hunc mulierum ſtuporem ædificare noluerunt. *Et video iam*, cum Seneca, *vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos, iam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt.* Sed quantum fœminarum hæc oſtentatio non prodigit! *Breuiſſimis loculis*, inquit Tertullianus, *patrimonium grande profertur, vno lino decies HS inſeritur, ſaltus & inſulas tenera ceruix fert, graciles aurium cutes Kalendarium expendunt.* Quas autem fortuna tam fertiliter non arriſit, infirmæ opes harum æmulationem non frangunt, inuenit ſolertia quæ gemmas mentiantur, vt animum tamen, ſi nō opes, videas.

Quid autem vicina facies, ne ipſa quidem (ſed non ſine iniuria) inueſtis eſt. Adulterino colore veſtitur, imaginem autem & pigmentum Dei idolum faciunt: quid enim aliud? cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt: verbo, formam diuinam mortali obducunt & occultant. Diſplicent ipſis nimirum plaſtica Dei, in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium: reprehendunt enim cùm emendant, cùm adijciunt: iniurioſæ Deo pariter & ſibi: turpe enim & obſcænum formæ adiumentum adciſcunt, imò ne adiumentum quidem, cùm formæ elegantiam

ſæpè non promoueant, ſed ocultent. Quibus autem pulchritudo à natura negata eſt, ſecundam deformitatem non effugiunt: pulchritudo enim ea quæ manibus atque arte comparatur, pulchritudo non eſt, ſed deformitas; vtpote talis quæ à terra producitur, atque à triuialibus mulierculis, & quidem paucis obolis emi poſſit. Et demus infirmitati oculorum aliquid venuſtatis formæ ineſſe. Adonidis tamen hortus eſt citò mareeſcens, Polypi color, litteræ in arena conſcriptæ, abſterſa enim in terram fluit, nec ad riſum conſiſtere poteſt, ſimulatque effuſior lætitia totas genas ſoluerit: lacrymarum etiam riuulis perditur, & humido timore, guttiſque exiguis adeò labefactatur atque deletur, vt gena, quæ priùs gratiſſimo quodam nitore prædita videbatur, eadem repentè, non ſine magno hominum riſu, bicolor, ſubatra, marmorea, nigra, minioque tincta appareat, omnibuſque non ſine ignominia palàm ſit, Hecubam eſſe quæ Helenam paulò antè mentiebatur. Nec raro delicatæ naturâ Veneres, crebrâ vnguentorum aduſtione in Hecubas transformantur. Canam cum Proportio:

Quid iuuat ornato procedere vitta capillo,
Teq; peregrinis vendere muneribus?
Naturaq; decus mercato perdere vultu?

Nuda

Nudus amor formæ non amat artificem.

Quid mollis autem & lactea ceruix? redimicula ſua habet, luminibus lapillorum variata monilia, & neſcio quæ non coraliorum & granorum genera. Aureis etiam catenulis & argenteis captiuorum in morem vinciuntur, hoc vnum intereſt, quod illi ferro inuiti, hæ auro premantur auidè. Et nunquid captiuas illas exiſtimaturos iudicemus Madagaſcaris vulgò S. Laurentij Inſulanos, qui argento ex abundantia reos ſuos onerant? locus ergò & raritas eas à mancipijs diſtinguit & dominis, acriter Sanctus Ambroſius: *Collum catena conſtringit, pedes compedes includunt, nil refert an corpus auro ligetur an ferro. Si ceruix premitur, ſi grauatur inceſſus, nil pretium iuuat, niſi quod vos mulieres eſtis miſerabiliores, quàm qui publico iure damnantur. Illi optant viuos ligari. Mulier ſic ornata, omnium domus eſt Dæmonum infernalium.* Quid dicturum putemus, ſi domicellarum noſtrarum collaria (non vnum enim amplius vni ceruici ſufficit) duplicia, triplicia etiam tot coronatorum prodigalitate quaſi contendentia aduertiſſet? Certè pudor eſt tot pauperum refectiones vnius puellæ laſſiuientis ceruice ſuffocari.

Video iam ſericas veſtes, & lineas, ſi veſtes vocandæ ſunt in quibus nihil eſt, quo defen-

di aut corpus aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis, mulier parum liquido, nudam ſe non eſſe iurabit. Perſpicuæ enim cùm ſint, nihil ferè in corpore vxoris ſuæ amplius maritus, quàm quilibet alius agnouerit: nihil ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo quàm in publico oſtenſura. Quid enim amplius ſaluâ, vix ſaluâ verecundiâ petieris? Telis Cameracenſibus nihil celatoris celatum pectus, celata ſunt vbera, vt candorem cutis & perfectionem corporis pellucido tegumento tegant laſciuiùs an aperiant dubites: prouocantes ſimul vulgarium oculos & irritantes. Quarundam etiam ea audacia eſt vt lineo ſublato irritamento, nudis papillis non irritent ſed plenè paſcant. Quid reſtat niſi vt & togam proijciant, ad primæuam, ſcilicet, ſimplicitatem reuerſuræ. Non lubet amplius nudis vberum lenocinijs ludere, ad cætera tranſeamus.

Reliquum quod ſupra vmbilicum reſtat, neſcio quomodò non torqueatur, iſtud faſciolis non citra iniuriam corporis comprimitur, hoc criſpanti angulo ad anxietatem anguſtius arctatur, vt illudant pleriſque, & artificio quodam teneritudinem mentiantur.

Brachiorum autem operimenta adeò laxantur, vt quod illis detractum, hiſce adiectum videatur. Multiplex hîc artificium

Iudit.

ludit. In plurima ſegmina plerumque diſſecta ſunt. Diuite vbique [illegible]ſtratâ materiâ, tanquam per feneſtras ſpectatorem in ſui admirationem prouocante. Circulis aureis deinde brachiorum & manuum compages arctantur, adeò nihil ſeruitij ſymbolo caret. Quin & digiti ſuum aurum habent, vnionibus quidem & margaritis ſuperbum: vulgarium iſta iam ſunt, opificum vxoribus & filiabus familiare decus: & hoc eſt quod Tertullianus: *Siniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit: hæ ſunt vires ambitionis tantarum vſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo baiulare.*

Infra vmbilicum iam quicquid eſt togâ tegitur: tam variâ, tam diuerſâ, tam pretioſâ, tot coloribus, tot zonis, tot mixturis adornata; vt ſpectatorem in admirationem non ducat ſed rapiat. Nihil vnquam tam doctis manibus fluxit, nihil vnquã tam pretioſis telis compoſitum, nihil vnquam tam exquiſitis florum, roſarum, & liliorum generibus variegatum textorum digitos exiuit, quod in tunicas has non migrauerit. Tantum ſcilicet luxus, tantum onus non pondere quidem ſed pretio baiulare, pudendis illis & non ſine verecundia & pudore nominandis partibus debebatur. Vilis hiſce opulentiſſimis olim Romanorum matronis interdicta iam pur-

di aut corpus aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis, mulier parum liquido, nudam ſe non eſſe iurabit. Perſpicuæ enim cùm ſint, nihil ferè in corpore vxoris ſuæ amplius maritus, quàm quilibet alius agnouerit: nihil ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo quàm in publico oſtenſura. Quid enim amplius ſaluâ, vix ſaluâ verecundiâ petieris? Telis Cameracenſibus nihil celaturis celatum pectus, celata ſunt vbera, vt candorem cutis & perfectionem corporis pellucido tegumento tegant laſciuiùs an aperiant dubites: prouocantes ſimul vulgarium oculos & irritantes. Quarundam etiam ea audacia eſt vt lineo ſublato irritamento, nudis papillis non irritent ſed plenè paſcant. Quid reſtat niſi vt & togam proijciant, ad primæuam, ſcilicet, ſimplicitatem reuerſuræ. Non lubet amplius nudis vberum lenocinijs ludere, ad cætera tranſeamus.

Reliquum quod ſupra vmbilicum reſtat, neſcio quomodò non torqueatur, iſtud faſciolis non citra iniuriam corporis comprimitur, hoc criſpanti angulo ad anxietatem anguſtius arctatur, vt illudant pleriſque, & artificio quodam teneritudinem mentiantur.

Brachiorum autem operimenta adeò laxantur, vt quod illis detractum, hiſce adiectum videatur. Multiplex hîc artificium

ludit

udit. In plurima ſegmina plerumque diſſe-
ta ſunt. Diuite vbique ſtratâ materiâ,
anquam per feneſtras ſpectatorem in ſui ad-
nirationem prouocante. Circulis aureis de-
nde brachiorum & manuum compages ar-
tantur, adeò nihil ſeruitij ſymbolo caret.
Quin & digiti ſuum aurum habent, vnioni-
us quidem & margaritis ſuperbum: vulga-
ium iſta iam ſunt, opificum vxoribus & fi-
iabus familiare decus: & hoc eſt quod Ter-
ullianus: *Siniſtra per ſingulos digitos de ſaccis
ingulis ludit: hæ ſunt vires ambitionis tantarum
ſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo
aiulare.*

Infra vmbilicum iam quicquid eſt togâ
egitur: tam variâ, tam diuerſâ, tam pretio-
â, tot coloribus, tot zonis, tot mixturis ad-
ornata; vt ſpectatorem in admirationem non
lucat ſed rapiat. Nihil vnquam tam doctis
nanibus fluxit, nihil vnquã tam pretioſis te-
is compoſitum, nihil vnquam tam exquiſitis
lorum, roſarum, & liliorum generibus va-
iegatum textorum digitos exiuit, quod in
unicas has non migrauerit. Tantum ſcilicet
uxus, tantum onus non pondere quidem ſed
retio baiulare, pudendis illis & non ſine ve-
ecundia & pudore nominandis partibus
lebebatur. Vilis hiſce opulentiſſimis olim
Romanorum matronis interdicta iam pur-

pura eſt; fabrorum ferrariorum & aliorum mechanicorum [illegible]bus vſitata, inuenit luxuriæ libido, quo pretioſiùs laſſiuiat. Extremitates autem aureâ zonâ roborantur, vt ad plantas vſque pedum pendulis tunicis terram vexando radant. Verbo:

Auferimur cultu, gemmis auroq́; teguntur
Omnia, pars minima eſt ipſa puella ſui,

Mirum ſi non gemmas cum Poppea calcamus.

De calceorum aptatura iam nihil dicam, hoc tantùm adijcio, quod ſingulari artificio ita nunc aptentur, vt ſtridore quodam crepantes, oculos hominum prouocent.

Veſtiuimus Belgicas modò Veneres, ſed domeſtica hæc ornamenta ſunt, vt ſic plateas ingrediantur ne veſtitæ quidem ſibi videbuntur. Quid ergò reſtat? Calyptram vulgò Heucam ipſis feceramus, olim velando corpori & grauitati matronarum conſulentes: ſed illuſit paulatim nobis fœminarum Genius, & ad communem luxum traxit. Vt omnem grauitatem vltrò proieciſſe virorum ludibrio manifeſtum facerent. Tenuiſſimis bombicum telis perilluſtris facta eſt, vt reliquis veſtimentorum ornatus, quaſi per diaphanum aliquod corpus omnium oculis ſe inſinuet. Ad limina ergò iam eas producamus, ſed nondum egrediamur: deſiderat

adhuc aliquid otioſa manus. Vt leuitatem amplexas ſe omnibus conteſtentur, leuitatis ſymbola plumas arripiunt. Iam itaque per plateas volemus: omnia enim hæc luci & oculis hominum parata ſunt. *Quis enim, vt ille, ſub alicuius ruſticæ arboris proiectus vmbrâ, luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicauit? nemo oculis ſuis lautus eſt, ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit.* Subueniunt itaque cultui quàm poſſunt cautiſſimè & manibus, & geſtibus, & inceſſu: pompaticè & ad elegantiam concinnato gradu incedunt: hinc atque illinc furtiuè errant oculi vt aduertant vtrúmne etiam aliorum ſibi inerrent, ſed vt plurimùm decipiuntur, ad gloriam ſuam iactos imaginantur, ad ipſarum ludibrium directos: ornatum enim plerumque miramur, ſed perſonas ridemus. Vtinam autem in Deum oculos conijcerent, & quàm illi corporis hæc adulteratio foret accepta, ſtudioſiùs inueſtigarent, ſine damno noſter viſus eſt, non ita felici cachinno diuina oracula fucum ſubſannant: audiamus; *Hæc dicit Dominus: Pro eo quod exaltatæ ſunt filiæ Sion & ambulauerunt extento collo, & in nutibus oculorum, & in itinere pedum ſimul trahentes tunicas, & compoſito gradu incedentes: humiliabit Dominus dominatrices filias Sion, & Dominus nudabit turpitudinem ipſarum in die illa, & auferet*

Dominus

Dominus gloriam veſtimenti earum: & tunicas fimbriatas, & torques & bullas, & ornatum faciei earum, & compoſitionem ornatus gloriæ, & olfactoria & armillas, & diſcriminalia, & annulos, & dextralia, & inaures, & circumpurpurea, & clauatam purpuram, & veſtimenta per domum, & perſpicua laconica, & byßina, & hyacinthina, & coccinea, & biſſum auro, hyacintho contextam, & palliola clauſa: & erit pro ſuaui odore fætor & pro zona funiculo cingeris, & pro ornatu capitis aureo caluitium habebis, & pro tunica clauatæ purpuræ præcingeris cilicio, & filius tuus pulcherrimus quem diligis gladio cadet, & fortes veſtri gladio cadent, & humiliabuntur & lugebunt thecæ ornatus veſtri, & derelinqueris ſola & ad terram proſtrata. Quam non accuratè luxum modernũ in filiabus Sion nobis aperuit? Et quis dubitet eâdem ſcabie inquinatas pari pœnâ plectendas: imò quotidie iuſtâ hâc Dei vindictâ & multamur & plectimur. Sexaginta iam annis luxum hunc Belgicum luimus. Pulcherrimi filiorum & fortiſſimi virorum ceciderunt, laniena iam Belgium eſt, humiliati ſumus, proſtrati ſumus, & nondum finis malorum, cum proficiente luxu inualeſcunt. Optimè ergò in omne æuum prudentiſſimus Auguſtus dixit: *Conuiuiorum & veſtium* [illegible]*xus labentis Reipublicæ ſigna & prænuntia ſunt.*

[illegible]d ad domeſticum luxum reuertamur,

Gemman-

Digitized by Google

Gemmantes primâ fulgent teſtudine lecti, Holoſerico (quod maſculino quidem corpori Tacitus Imperator interdixerat) cortinæ ipsâ etiam materiâ pretioſiùs elaboratæ, arcæ omnes, ciſtellæ omnes, penu atque adeò nihil ferè lignorum eſt quod lineo aut laneo vel mille ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſo, vel diuerſis coloribus & figuris variegato operimento non inſoleſcat. Sed & parietes inueſtes non ſunt, Tyrijs, hyacinthinis & Attalicis aulæis (quæ olim Romani reſoluta tranſfigurabant) pro pictura abutuntur. Et inuentum iam eſt quomodo minori pretio pretium fingant. Coreo, auro, argento, purpurâ & alijs coloribus leuiter veſtito parietes pro tapetis operiuntur. *Video*, vt compendiosè cum Seneca loquar, *elaboratam ſcrupuloſâ diſtinctione teſtudinem, & fœdiſſimorum pigerrimorumq́ animalium teſtas ingentibus pretijs emptas, in quibus ipſa illa quæ placet varietas ſubditis medicamentis in ſimilitudinem veri coloratur. Video iſtic menſas & æſtimatum lignum Senatoris cenſu eò pretioſius quò illud in plures nodos arboris infelicitas torſit.* E toto iam cælo diuerſis, imò ipſo etiam nomine ignotis regionibus truncos arborum in varias deinde figuras transformandos aduehimus: vix vlla opificum domus eſt in qua lignum illud à Braſilia mutuatum non videatur. Vt me-

nem vitæ expertem ſibi conſtituentes, pulchritudinis exemplum illinc petunt. Holoſericum, aurum, argentum & quaſcunque tandem oculis placituras illecebras, quoſcunquæ gratos fore colores duxerint, adaptatis comis innectuntur: omnium florum & roſarum generibus acu-pictis, quorum ars pretium ſuperat, non rarò vnum caput cingitur. Quæ argenteo deinde acu crinali non vtitur extremæ indigentiæ infallibilis nota eſt: eſurire ſiquidem paululum ventrem malunt quàm verticem non paſci. Quot non faſciolæ, quot non redimicula, & omnia pretio inter ſe certantia! quot non nodi & flexuræ! non poſſum aliud niſi verticem puellarum labyrinthum dicere, cui vel ipſe Theſeus explicando inerraret, niſi ab ipſis hiſce Ariadnis educeretur.

Ad auriculas deſcendo, quas ne inuiolatas quidem relinquunt: non ſecus ac liberti veterum Romanorum perforatas habent. Sed non nudum vulnus eſt, vt perpetuum ſit, annulis aureis, gemmis & vnionibus ſuperbis, fulcitur: nullus ſiquidem muliebri concupiſcentiæ ſufficiens theſaurus eſt, niſi è fluminibus aut animalium corporibus fluxerit. Gemmæ aliæ auriculis, aliæ collo, aliæ ceruici, aliæ zonæ, aliæ manibus adornandis aptantur: minutilia enim hæc non fundamentis domorum demandandis, non parietibus

rietibus moliendis, non faſtigijs ſuſtinendis, non tectis denſandis neceſſaria ſunt: ſed ſolùm hunc mulierum ſtuporem ædificare noluerunt. *Et video iam*, cum Seneca, *vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos, iam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt.* Sed quantum fœminarum hæc oſtentatio non prodigit! *Breuiſſimis loculis*, inquit Tertullianus, *patrimonium grande profertur, vno lino decies HS inſeritur, ſaltus & inſulas tenera ceruix fert, graciles aurium cutes Kalendarium expendunt.* Quas autem fortuna tam fertiliter non arriſit, infirmæ opes harum æmulationem non frangunt, inuenit ſolertia quæ gemmas mentiantur, vt animum tamen, ſi nō opes, videas.

Quid autem vicina facies, ne ipſa quidem (ſed non ſine iniuria) inueſtis eſt. Adulterino colore veſtitur, imaginem autem & figmentum Dei idolum faciunt: quid enim aliud? cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt: verbo, formam diuinam mortali obducunt & occultant. Diſplicent ipſis nimirum plaſtica Dei, in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium: reprehendunt enim cùm emendant, cùm adijciunt: iniurioſæ Deo pariter & ſibi: turpe enim & obſcænum formæ adiumentum adciſcunt, imò ne adiumentum quidem, cùm formæ elegantiam

ſæpè non promoueant, ſed occultent. Quibus autem pulchritudo à natura negata eſt, ſecundam deformitatem non effugiunt: pulchritudo enim ea quæ manibus atque arte comparatur, pulchritudo non eſt, ſed deformitas; vtpote talis quæ à terra producitur, atque à triuialibus mulierculis, & quidem paucis obolis emi poſſit. Et demus infirmitati oculorum aliquid venuſtatis formæ inesse. Adonidis tamen hortus eſt citò marceſcens. Polypi color, litteræ in arena conſcriptæ, abſterſa enim in terram fluit, nec ad riſum conſiſtere poteſt, ſimulatque effuſior lætitia totas genas ſoluerit: lacrymarum etiam riuulis perditur, & humido timore, guttiſque exiguis adeò labefactatur atque deletur, vt gena, quæ priùs gratiſſimo quodam nitore prædita videbatur, eadem repentè, non ſine magno hominum riſu, bicolor, ſubatra, marmorea, nigra, minioque tincta appareat, omnibuſque non ſine ignominia palàm ſit, Hecubam eſſe quæ Helenam paulò antè mentiebatur. Nec raro delicatæ naturâ Veneres, crebrâ vnguentorum aduſtione in Hecubas transformantur. Canam cum Proportio:

Quid iuuat ornato procedere vitta capillo,
Teq; peregrinis vendere muneribus?
Naturaq; decus mercato perdere vultu?

Nuda

Nudus amor formæ non amat artificem.

Quid mollis autem & lactea ceruix? redimicula ſua habet, luminibus lapillorum variata monilia, & neſcio quæ non coraliorum & granorum genera. Aureis etiam catenulis & argenteis captiuorum in morem vinciuntur, hoc vnum intereſt, quod illi ferro inuiti, hæ auro premantur auidè. Et nunquid captiuas illas exiſtimaturos iudicemus Madagaſcaris vulgò S. Laurentij Inſulanos, qui argento ex abundantia reos ſuos onerant? locus ergò & raritas eas à mancipijs diſtinguit & dominis, acriter Sanctus Ambroſius: *Collum catena conſtringit, pedes compedes includunt, nil refert an corpus auro ligetur an ferro. Si ceruix premitur, ſi grauatur inceſſus, nil pretium iuuat, niſi quod vos mulieres eſtis miſerabiliores, quàm qui publico iure damnantur. Illi optant viuos ligari. Mulier ſic ornata, omnium domus eſt Dæmonum infernalium.* Quid dicturum putemus, ſi domicellarum noſtrarum collaria (non vnum enim amplius vni ceruici ſufficit) duplicia, triplicia etiam tot coronatorum prodigalitate quaſi contendentia aduertiſſet? Certè pudor eſt tot pauperum refectiones vnius puellæ laſſiuientis ceruice ſuffocari.

Video iam ſericas veſtes, & lineas, ſi veſtes vocandæ ſunt in quibus nihil eſt, quo defen-

di aut corpus aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis, mulier parum liquido, nudam ſe non eſſe iurabit. Perſpicuæ enim cùm ſint, nihil ferè in corpore vxoris ſuæ amplius maritus, quàm quilibet alius agnouerit: nihil ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo quàm in publico oſtenſura. Quid enim amplius ſaluâ, vix ſaluâ verecundiâ petieris? TelisCameracenſibus nihil celaturis celatum pectus, celata ſunt vbera, vt candorem cutis & perfectionem corporis pellucido tegumento tegant laſciuiùs an aperiant dubites: prouocantes ſimul vulgarium oculos & irritantes. Quarundam etiam ea audacia eſt vt lineo ſublato irritamento, nudis papillis non irritent ſed plenè paſcant. Quid reſtat niſi vt & togam proijciant, ad primæuam, ſcilicet, ſimplicitatem reuerſuræ. Non lubet amplius nudis vberum lenocinijs ludere, ad cætera tranſeamus.

Reliquum quod ſupra vmbilicum reſtat, neſcio quomodò non torqueatur, iſtud faſciolis non citra iniuriam corporis comprimitur, hoc criſpanti angulo ad anxietatem anguſtius arctatur, vt illudant pleriſque, & artificio quodam teneritudinem mentiantur.

Brachiorum autem operimenta adeò laxantur, vt quod illis detractum, hiſce adiectum videatur. Multiplex hîc artificium

ludit.

ludit. In plurima ſegmina plerumque diſſecta ſunt. Diuite vbique ſtratâ materiâ, tanquam per feneſtras ſpectatorem in ſui admirationem prouocante. Circulis aureis deinde brachiorum & manuum compages arctantur, adeò nihil ſeruitij ſymbolo caret. Quin & digiti ſuum aurum habent, vnionibus quidem & margaritis ſuperbum: vulgarium iſta iam ſunt, opificum vxoribus & filiabus familiare decus: & hoc eſt quod Tertullianus: *Siniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit: hæ ſunt vires ambitionis tantarum vſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo baiulare.*

Infra vmbilicum iam quicquid eſt togâ tegitur: tam variâ, tam diuersâ, tam pretioſâ, tot coloribus, tot zonis, tot mixturis adornata; vt ſpectatorem in admirationem non ducat ſed rapiat. Nihil vnquam tam doctis manibus fluxit, nihil vnquā tam pretioſis telis compoſitum, nihil vnquam tam exquiſitis florum, roſarum, & liliorum generibus variegatum textorum digitos exiuit, quod in tunicas has non migrauerit. Tantum ſcilicet luxus, tantum onus non pondere quidem ſed pretio baiulare, pudendis illis & non ſine verecundia & pudore nominandis partibus debebatur. Vilis hiſce opulentiſſimis olim Romanorum matronis interdicta iam pur-

pura eſt; fabrorum ferrariorum & aliorum mechanicorum manibus vſitata, inuenit luxuriæ libido, quo pretioſiùs laſſiuiat. Extremitates autem aureâ zonâ roborantur, vt ad plantas vſque pedum pendulis tunicis terram vexando radant. Verbo:

Auferimur cultu, gemmis auroq́; teguntur
Omnia, pars minima eſt ipſa puella ſui,

Mirum ſi non gemmas cum Poppea calcamus.

De calceorum aptatura iam nihil dicam, hoc tantùm adijcio, quod ſingulari artificio ita nunc aptentur, vt ſtridore quodam crepantes, oculos hominum prouocent.

Veſtiuimus Belgicas modò Veneres, ſed domeſtica hæc ornamenta ſunt, vt ſic plateas ingrediantur ne veſtitæ quidem ſibi videbuntur. Quid ergò reſtat? Calyptram vulgò Heucam ipſis feceramus, olim velando corpori & grauitati matronarum conſulentes: ſed illuſit paulatim nobis fœminarum Genius, & ad communem luxum traxit. Vt omnem grauitatem vltrò proieciſſe virorum ludibrio manifeſtum facerent. Tenuiſſimis bombicum telis perilluſtris facta eſt, vt reliquis veſtimentorum ornatus, quaſi per diaphanum aliquod corpus omnium oculis ſe inſinuet. Ad limina ergò iam eas producamus, ſed nondum egrediamur: deſiderat

adhuc

adhuc aliquid otioſa manus. Vt leuitatem amplexas ſe omnibus conteſtentur, leuitatis ſymbola plumas arripiunt. Iam itaque per plateas volemus: omnia enim hæc luci & oculis hominum parata ſunt. *Quis enim, vt ille, ſub alicuius ruſticæ arboris proiectus vmbrâ, luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicauit? nemo oculis ſuis lautus eſt, ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit.* Subueniunt itaque cultui quàm poſſunt cautiſſimè & manibus, & geſtibus, & inceſſu: pompaticè & ad elegantiam concinnato gradu incedunt: hinc atque illinc furtiuè errant oculi vt aduertant vtrúmne etiam aliorum ſibi incurrent, ſed vt plurimùm decipiuntur, ad gloriam ſuam iactos imaginantur, ad ipſarum ludibrium directos: ornatum enim plerumque miramur, ſed perſonas ridemus. Vtinam autem in Deum oculos conijcerent, & quàm illi corporis hæc adulteratio foret accepta, ſtudioſiùs inueſtigarent, ſine damno noſter viſus eſt, non ita felici cachinno diuina oracula fucum ſubſannant: audiamus; *Hæc dicit Dominus: Pro eo quod exaltatæ ſunt filiæ Sion & ambulauerunt extento collo, & in nutibus oculorum, & in itinere pedum ſimul trahentes tunicas, & compoſito gradu incedentes: humiliabit Dominus dominatrices filias Sion, & Dominus nudabit turpitudinem ipſarum in die illa, & auferet*

Dominus

Dominus gloriam veſtimenti earum: & tunicas fimbriatas, & torques & bullas, & ornatum faciei earum, & compoſitionem ornatus gloriæ, & olfactoria & armillas, & diſcriminalia, & annulos, & dextralia, & inaures, & circumpurpurea, & clauatam purpuram, & veſtimenta per domum, & perſpicua laconica, & byſſina, & hyacinthina, & coccinea, & biſſum auro, hyacintho contextam, & palliola clauſa: & erit pro ſuaui odore fœtor & pro zona funiculo cingeris, & pro ornatu capitis aureo caluitium habebis, & pro tunica clauatæ purpuræ præcingeris cilicio, & filius tuus pulcherrimus quem diligis gladio cadet, & fortes veſtri gladio cadent, & humiliabuntur & lugebunt thecæ ornatus veſtri, & derelinqueris ſola & ad terram proſtrata. Quam non accuratè luxum modernũ in filiabus Sion nobis aperuit? Et quis dubitet eâdem ſcabie inquinatas pari pœnâ plectendas: imò quotidie iuſtâ hâc Dei vindictâ & multamur & plectimur. Sexaginta iam annis luxum hunc Belgicum luimus. Pulcherrimi filiorum & fortiſſimi virorum ceciderunt, laniena iam Belgium eſt, humiliati ſumus, proſtrati ſumus, & nondum finis malorum, cum proficiente luxu inualeſcunt. Optimè ergò in omne æuum prudentiſſimus Auguſtus dixit: *Conuiuiorum & veſtium luxus labentis Reipublicæ ſigna & prænuntia ſunt.*

Sed ad domeſticum luxum reuertamur,

Gemman-

Gemmantes primâ fulgent teſtudine lecti, Holoſerico (quod maſculino quidem corpori Tacitus Imperator interdixerat) cortinæ ipsâ etiam materiâ pretioſiùs elaboratæ, arcæ omnes, ciſtellæ omnes, penu atque adeò nihil ferè lignorum eſt quod lineo aut laneo vel mille ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſo, vel diuerſis coloribus & figuris variegato operimento non inſoleſcat. Sed & parietes inueſtes non ſunt, Tyrijs, hyacinthinis & Attalicis aulæis (quæ olim Romani reſoluta tranſfigurabant) pro pictura abutuntur. Et inuentum iam eſt quomodo minori pretio pretium fingant. Coreo, auro, argento, purpurâ & alijs coloribus leuiter veſtito parietes pro tapetis operiuntur. *Video*, vt compendioſè cum Seneca loquar, *elaboratam ſcrupuloſâ diſtinctione teſtudinem, & fœdiſſimorum pigerrimorumq́; animalium teſtas ingentibus pretijs emptas, in quibus ipſa illa quæ placet varietas ſubditis medicamentis in ſimilitudinem veri coloratur. Video iſtic menſas & æſtimatum lignum Senatoris cenſu eò pretioſius quò illud in plures nodos arboris infelicitas torſit.* E toto iam cælo diuerſis, imò ipſo etiam nomine ignotis regionibus truncos arborum in varias deinde figuras transformandos aduehimus: vix vlla opificum domus eſt in qua lignum illud à Braſilia mutuatum non videatur. Vt merito

ritò Tertullianus: *Raritas & peregrinitas apud extraneos ſemper gratiam inueniens, de ſimplici cauſa non habendi quæ Deus alibi collocauit, concupiſcentiam concitat habendi: ex hac vitium aliud extenditur immoderatè habendi.*

Solida hæc adhuc ſunt, ipſoque vſu durationem temporis alicuius promittentia. Hoc opum modo argumentum, hæc veræ luxurię gloria exiſtimatur, habere quod poſſit ſtatim totum perire. Video enim cryſtallina quorum accendit fragilitas pretium: video porcellina (Chinenſium induſtriæ monumentũ) tot millibus milliarium enauigatis, Oceano adaecta, agricolarum caſis nunc aſſueta; vt mireris tantam fragilitatem inconcinnitatẽ ſuâ ineptis manibus, tam periculosè contrectari: ſed omnium rerum voluptas apud imperitos, ipſo quo fugare debet periculo, ereſcit.

Nihil de aureis, argenteis, Indicis etiam & Sabinis diotis dicam: præ quibus vile, ſi Dijs placet, aurum eſt. Video myrrhina pocula: parum ſcilicet luxuria magnò furit, niſi quod vomant, capacibus gemmis inter ſe propinarent. Reliqua ſuppellex ea eſt, vt tota Midæ manibus tacta videatur.

Denique nihil adeò recluſum eſt quod huic oſtentationi & inani gloriæ non ſubſerviat: reſerantur omnia curioſo illi à quo glo-

riam

riam fænerandam ſuſpicantur, fruſtrà poſſidere rati quę recondita oculis forent: parum memores illius Iudaici Regis qui Aſſiriorum Legatis reſerato theſauro, eiuſdem iacturam, vindictâ exprobrantis Dei meruit.

CAPVT XIII.

Scena de ingenio, memoriâ, venuſtate, & nobilitate gloriantium.

IN tantum inſanimus, in tantum vrimur, & inani gloriâ titillamur, vt ingenium, memoriam, venuſtatem, nobilitatem noſtra iudicemus. Merebamur (ſcilicet) cùm in ſola mente diuina viueremus; merces ſunt, non gratia. Ingenium, memoriam, animæ potentias, ſine memoria ſine ingenio nos locauimus: fædiſſimam illam genitorum guttam in eam vultus venuſtatem, in vtero materno nos transformauimus: tales abſque adhuc homine artifices: nobilitatem, illuſtri ſtratagemate, rerum geſtarum gloriâ, virtute, ante plaſmationem noſtri nobis aſciuimus; aut certè noſtri arbitrij fuit nobilitate conſpicuis fluxiſſe parentibus. Hoc ſcilicet non eſt plaſmatorem omnium ludere, & Dei omnipotentiam, gloriam & honorem con-

tumelioſè violare. Cum ſecuritate quidem nos hæc agimus: vſque adeò diuini honoris raptorem eſſe magnum eſt. Ingenium memoriam noſtra dicimus, tractamus vt noſtra, quæ locata ſunt: tantum in ijs noſtrum dominium eſt, vt momentanea poſſeſſio felicitatis ſit. Et tamen in omni conuerſatione vt noſtra extollimus, occaſionem aucupantes vt mendaci addito verborum fuco noſtra dicamus. Quanta fecerimus, quàm ſubtilia, quàm acuta, quàm artificioſa: quanta didicerimus, repetiuerimus, quoties ſine hæſitatione oratores, quàm longi temporis obſeruatores: verbo, quod ingenio & memoriâ perfectum, dilucidiùs aperimus; vt ingenioſorum & memoriâ illuſtrium nomine mulceamur. Nec limites inanis gloria patitur: ingenio licet & memoriâ deſtituti, in vtroque tamen excellentes haberi volumus. Si inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui ingenio, qui memoriâ claros, adhuc non ſumus laudatione contenti, quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tanquam debitum prehendimus: optimos nos eſſe, ſapientiſſimos, prudentiſſimos, ingenio, memoriâ eminentiſſimos affirmantibus aſſentimur, quum ſciamus eos ſæpè multa mentiri: adeò quoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contraria maximè facimus.

Quid iam venuſtas illa, deformi multorum, imò & poſſidentium naufragio infamis? Summum, apta quorundum membrorum lineamenta & colorata cutis, ipsâ ſuâ fragilitate periculoſa, temporis & morbi ludibria, benè Ouidius:

Forma bonum fragile eſt, quantumq́; accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent,
Et riget amißâ ſpina relicta Roſâ.

Omnem formæ elegantiam mihi breue Ver affert, eamque hyemis aſperitas protinus extinguit: aut enim eam præmaturè morbus frangit ac debilitat, aut ipſa certè ſenectus delet atque obliterat. *Virum oportet, etſi corpus naturâ ſortitus ſit magnum*, inquit Sophocles, *exiſtimare poſſe cadere etiam à paruo incommodo*. Luſi nuper,

Ingenium natura dedit, vel Apollo Poëſin,
Hiſtoriæ prudentiam.
Formam larga Venus, Charites poſuêre lepôres:
Conſtantiam mentis Deus.
Quanta vides, aliena vides, poſt paucula, nulla:
Sic firma fortunæ quies.
Forma vel ingenium quæ firmia fingimus, vno
Morbi periclo fluctuant;

& tamen in hac fugaci formæ vmbrâ gloriamur. Erigimus animos tanquam aliquid

diuinum ſupra hominem nacti, præſertim autem fœminarum animi deſpiciunt lineamentis hiſce deſtitutos, quaſi à perfecta hominum diſpoſitione degenerantes.

Hoc verò magis adhuc ridiculum eſt, videas enim mulieres in deformitatis ſuæ conſcientiâ adeò inſolentes, vt turpitudine ſuâ glorientur, Danaëmque præ ſe contemnant: adeò formæ lenocinium mollioris ſexus pretium fœminas dementat.

Rideo & Hecubas huiuſmodi & Helenas, rideo Cleobolos & Hylas, rideo quoſcumque colorata cutis & nuda corporis lineamenta decipiunt, quæ magnitudinem ſuam ex infirmitate noſtra ſortiuntur: ſi enim linceis oculis homines vterentur, & eorum viſus quæcumque obſtantia penetraret, nónne introſpecta viſceribus illa Alcibiadis & Helenæ corpora pulcherrima, turpiſſima viderentur? igitur eos pulchros videri, non eorum natura, ſed ſpectantium reddit infirmitas.

Iam verò dicam cum nobiliſſimo & conſulari Boëtio, quàm ſit inane, quàm futile nobilitatis nomen, quis non videat?

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus cuncta miniſtrat;

Mortales

Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen,
Quid genus & proauos ſtrepitis?
Si primordia veſtra
Authoremq́ Deum ſpectes,
Nullus degener extat,
Ni vitijs peiora fouens
Proprium deſerat ortum.

Quodnam enim iſtud in ſpermate parentum decus quod à reliquorum origine nobiliorem te reddidit? quidnam virtutis additum, quod à popularium cœtu te diſtinxit? ſi id ad heroica maiorum facinora, crebris imaginibus veſtita atria, & varijs cælaturis virtutum teſtatrices parmas prouocas: ſed quæ ea nobilitas? ſi ad claritudinem refertur, aliena eſt. Quænam enim hæc arrogantia, ne dicam temeritas, alienam poſſeſſionem inuadere? virtutem & induſtriam Maiorum noſtra dicimus, torporem eorundem & ignauiam in nos deriuari negamus: quaſi meritorum & demeritorum non eadem ſit ratio. Quidni & parentum pietate, meritis, & æternâ ſalute ſalutem aſſequamur? quidni & robore & ſcientiâ parentum, imbelles & fatui, bellatores & prudentes audiant? quidni eloquentiâ & ingenio eorundem & facundi & ingenioſi nuncupentur? à virtute nobilitas eſt; nobilitatem

à maioribus non magis quàm virtutem traxeris. Vile, alienis plumis mendaciter exornari; inglorium, alienâ vmbrâ obſcurari potiùs quàm glorioſiùs veſtiri. Doctè Satyricus:

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri, pictoſq; oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?
Et Curios iam dimidios, naſumq; minorem
Coruini, & Galbam auriculis naſoq; carentem?
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.
Paulus vel Coſſus vel Druſus moribus eſto:
Hos ante effigies maiorum pone tuorum.

Et hanc poſt nonnulla reddit rationem:

—— *Quis enim generoſum dixerit hunc qui*
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis? miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achylles.

Et vt opportunè Nazianſenus:

Quod probrum eſt mulis, aſino fluxiſſe parente?
Quod mulos aſinis eſt genuiſſe decus?
Eſſe probus malo, quamuis ignobilis ortu,
Quàm claros, vitijs plenus, habere patres.

Vtpote malos nos, non obſcuros atque ignobiles

ignobiles vocari pudeat: generis enim nobilitas ab ijs ortum habet qui iam olim computruerunt: nobilitatis authorem poſteris eſſe præſtat quàm à maioribus acceptam labefactare, quemadmodum bonum eſſe ſatius eſt quàm à bonis originem traxiſſe. Sed ita inuerſa & antiquata ſunt omnia, vt quos propria decora, virtutes, facinora illuſtriores reddiderunt, non indiſcreto ſanguinis munere, ſed forti ſudoris & cruoris effuſione comparatâ nobilitate, paſſim ab inanibus hiſce ſtatuis deſpecti poſtponantur: quaſi minùs adhuc nobilitate clari qui inſignia, non maiorum ſed ſua, proferant. Cùm tamen ſi voluerimus veram hominis æſtimationem facere, & ſcire qualis ſit, nudum inſpicere oporteat, patrimonio, honoribus & alijs fortunæ mendacijs depoſitis: exuendum etiam corpus & animus inſpiciendus, qualis quantuſque ſit, alieno an ſuo magnus.

Interim nihil ipſi nobilitatis, niſi vacuum nomen circumferunt; quot gradibus authore poſteriores, tot degeneres, tot alieni: & interim quotidie nihil aliud niſi numerum horum crepant: idem crepuſculis orientis, occidentis, proficientis & deficientis ſolis ad faſtidium vſque, hymnus eſt, nobilitas, nobilitas, gradus, inſignia; indefeſſi alienæ nobilitatis traductores.. Nobiles non ſunt,

qui nobiles; defectus eſt, vbi defectus non eſt; huic apertâ caſſide non licet vti, illi nullus ad venandum diſtrictus, huius ſuſpecta inſignia, iſtius materno genere manca nobilitas, & neſcio quæ non ventoſa præcipiti ore verba deuoluantur, pleraque mendacio vilia; vt ſoli verâ, ſcilicet, nobilitate illuſtres eminere videantur. Rectè (quòd audacter Satyricus) illis generis ſui fungis cum Politico-chriſtiano applicauerim:

Et tamen vt longè repetas longeq́; reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.
Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

CAPVT XIV.

Scena de natali ſolo præſumentium.

QVam quiſque terram vel per Tyrannidem, vel per calamitatem antè occupauerit, eam patriam dicimus, quam deinde munitionibus firmauimus, vt tuti eſſemus. Miſeri, qui tam paucula turribus quibuſdam coacta terræ iugera patriam agnoſcamus. Libera mens tam anguſtè non habitat: meo iudicio omnium vna eſt, orbis eſt; in quamcumque

terram

terram venio, meam inuenio: Sed vt vulgò,

Neſcio quà natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Eſto, communis iſtius patriæ angulum parturientis dolore matris infamem, qui editos nos pari auſpicio vitæ & laboris educauit, patriam appellemus: omnes tamen eius vel in parentibus, vel in maioribus æquè hoſpites & aduenæ ſumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus. Et quid nugatius quàm in hac gloriari? Et tamen nihil in ore vulgarium frequentius: quemcumque de qualitate patriæ illius interrogaueris, licet ignobilitate ſuâ obſcuræ, ilicò laudatorem habebis: imò magnum illum Philoſophum Platonem, cæco hoc affectu faſcinatum, non puduit Dijs immortalibus gratias agere, quod Athenienſis, non Thebanus eſſet; quaſi verò aut inuiſæ Græcis Thebæ eum obſcuriorem, aut ſuperbæ Athenæ illuſtriorem reddidiſſent.

Et quid, obſecro, iſtud eſt quod ita pertinaci amore in laudem trahimus? nobis mœnia ſunt & theatra & equeſtres curſus, & palatia, & pulchræ atque ingentes porticus, ſubterranei meatus, illuſtres aquæ-ductus, forum frequens, vulgus exundans, nobilium virorum præclarum Concilium, opum ma-

gnitudo, ſpectata fertilitas, mare proximum, tuti portus, opportuni amnes, tellus vini ferax, olei, frumenti, frequens armentis, & gregibus, auri, argenti, aliorum metallorum venæ, pingues boues, teneri hædi, dulcia poma, fructuum varietas. Quæ omnia ſi Philoſophico animo inſpexeris, mox deſpexeris: quid enim, inquis, nobis egregia mœnia ſunt? è coctis lateribus ſcilicet & calce promotum opus meliorem te reddidit; & quídni tibi obiecero, quod Spartanus ille amico muros vrbis ſuæ oſtentanti, *Si hos*, inquit, *fœminis extruxiſtis, rectè quidem, ſi viris, turpiter*. Nobis in circo & theatro ſpectacula ſunt: prodigalitatem adfers & inſolentiam; hæc duo inſuper loca bonis ſemper aduerſa moribus fuiſſe notiſſimum eſt: quò quiſquis malus ierit, redibit peſſimus: nam bonis iter illud ignotum eſt: qui ſi caſu aliquo ignari adeant, contagio nõ carebunt. Nobis equeſtres curſus: tu non agilior, nec multò meliùs mari turbido quàm frementi equo rapi. Nobis palatia & pulchræ atque ingentes porticus, ſubterranei meatus & illuſtres aquæ-ductus: hoc nimirum eſt opes proijcere, & ſi qua laus, non tua, ſed architectorum. Nobis forum frequens & vulgus exundans: hoc eſt detractionum ſentina & vitiorum pelagus, & ſi quæ hinc tibi gloria eſt, ea eſt, quod aut multorum

multorum contemptui pateas aut inuidiæ, ſine altero in frequenti populo vix viuitur: illud tutius, hoc clarius malum: vtriuſque autem hæc ipſa quam prædicas natalis ſoli nobilitas cauſa eſt; tot inter oculos mille ſunt latebræ. Nobis nobilium virorum præclarum conſilium. Quid ſi tu obſcurior? quid ſi claritas ipſa te prodet, éque latebris eruet, & in apertum trahet: promptiùs in clariſſimorum virorum luce notaberis. Niſi verò per te fulſeris, quid tibi lux nobilium virorum niſi tenebras allatura eſt? Multos habuit claritas eorum obſcuros, quos obſcuritas reliquorum aliàs abundè claros habuiſſet. Nobis opum magnitudo: omnium ſcelerum, vitiorum & exceſſuum meruus. Lycurgus vt rem aduerſam bonis moribus, vt Reipublicæ peſtem, Lacedæmone excluſit, vt Lacedæmon eſſet, id eſt, inuicta. Corynthum noſti, Babylonem & famoſam Niniuen, non eas hoſtes priùs euerterunt quàm opes: quin & populum Romanum corruperunt, nec antè eius collapſa virtus, quàm diuitijs lapſi mores, tam diu clarus, tam diu iuſtus, tam diu integer, quàm diu pauper; in egeſtate victor gentium, & quod glorioſius, victor ſui domitorque vitiorum: ab opulentia autem victus atque peſſundatus. Nobis ſpectata fertilitas, tellus vini, ferax olei, frumenti,

frequens armentis ac gregibus, pingues boues, teneri hædi, dulcia poma, fructuum varietas: concupiſcentiæ, luxuriæ, libidinis, ad recalcitrandum fomites, domeſtici hoſtes, vt incuriâ quâdam & animâ & corpore pereatis. Totam Pentapolim cogita, & Capuam, non niſi delitijs ebriæ ceciderunt; adde terrorem populi Romani Hannibalem, terror eſſe deſijt vbi affluentiâ eneruatus, nec antè armis quàm voluptate fractus. Nobis mare proximum, tuti portus, opportuni amnes: vt aliarum nationum, gentium & populorum corruptiones, inquinamenta & vitia facilius ad vos confluant. Quid? par commoditati periculum eſt, aggerum interruptio, agrorum inundatio, bonorum, vrbium, vitæ ipſius iactura præ foribus: carius ſcilicet mare & vicini amnes commoditatem redimunt. Nobis auri, argenti, & aliorum metallorum ſcatebræ: imò & iniuriarum.

—— Itum eſt in viſcera terræ;
Quaſq; recondiderat ſtygijſq; admouerat vmbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Ecce quàm fragili fundamento iſtius loculi gloria nititur quam patriam appellamus, laudanda ducimus, quę quidem ne æſtimanda, veram autem vrbium gloriam non attingimus. Vbi enim boni viri, vt recte notat

Franciſ-

Franciſcus Petrarcha, id ne quæritur quidem, nec quæſitu dignum ducimus, æſtimatores egregij: atqui ſumma patriæ laus, ſi qua laus, ſola virtus eſt ciuium. Rectè ergò Virgilius gloriam ac felicitatem cum deſcriberet Romanam, nihil horum ad quæ reſpicimus dignatus attingere, vnam vrbis & imperij magnitudinem attigit animorum, felicem denique prole virum dixit, ea enim eſt vera vrbium felicitas, vera nobilitas.

CAPVT XV.

Scena de peccatis gloriantium.

TAnti antiqnitas gloriam fecit, vt ſtrage corporum & animorum ei litare ingloriosum non æſtimârit. Per peccatum ad gloriam itum eſt, aſello prodigales vt halece fruerentur; glorioſi non erant, qui gloriam vt ſcopum non habebant: nec vlla generoſitas, niſi quæ gloriæ ancillaretur: anguſtè Diogenes dolium habitabat, ſed ipſe ingenti gloriâ habitabatur, abieciſſe videri volebat, quod abiecerat vt pullularet. Famoſiſſimum Dianæ fanum accendebat alius, nominis æternaturi deſiderio accenſus, ſed quo parare nitebatur modo, aboleuit. Vitam Curtius Tyberi deuouit, ſed gloriæ priùs deuotam. Ruunt alij præci-

præcipites, antea tamen gloriâ præcipitati, vt bis & altiùs ruerent. Quidam ad penitiſſimos terræ receſſus fugiunt, vt cognitâ poſtea eorum impoſturâ, maiore contumeliâ plecterentur. Quid?

— Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Æthnam
Inſiluit. —

Miramur Chriſtiani impoſturam eorum, miramur inſaniam, & ipſi lucis Euangelicæ radijs illuſtrati turpiùs inſanimus. Chriſtianus Chriſtianis ſcopus eſt, is eſt humilitas, & ad Ethnicos accedimus vt Chriſtiani non ſimus: *Gloriam enim quærimus è rebus peſſimis, & lætamur cùm maleſecerimus*, naturæ vim facientes & legi: abſcondere defectus iubent, quos cum appetitu & ſpe gloriæ aperimus. Iniuriam aut ſibi aut alijs illatam laude dignam ducimus: quid enim vulgarius? ille ebrietatem ſuam crepat, & viuum ſeſe potu ſepelijſſe egrgium autumat. Hic vindictam aperit, vapulaſſe ſcilicet aduerſarium, nec auſum verbera aut verba reddere; ſolet enim vulgus Chriſtianam patientiam, formidinem interpretari. Oſcula iactant alij, quinimò & fornicationes, adulteria & pollutiones; profligatæ nimirum caſtitatis eſſe generoſum eſt. Quoties iam fraudem audimus, quoties dolum, quoties vexationes agricolarum, quoties

es ſimplicium irriſiones, tam effrictâ fronte, ım liberè, non ſecus ac ſi de virtutibus res geretur.

Superioribus inſultaſſe, præcepta, monita, ninas, & quæcumque correctioni ſalubriter dinuenta ſpreuiſſe, oblocutum fuiſſe, re- ꞁrehendiſſe. Verbo, refractarium fuiſſe cum ꞁlauſu etiam & cachinno vendimus: dete- ꞁius, quod venenum iſtud pleriſque mel vi- deatur. Etiam ab indiſcreto huius ſapore ſo- ciorum palato æſtimationem, quaſi re opti- mè geſtâ, nobis promittimus.

Et audio iam iactabundos Helluones, multorum poculorum capaces ſe eſſe & ſo- brios: notiſſimo videlicet potationis perpe- tuæ argumento celebritatem ſectantes, quàm à virtute non poſſunt, à vitio mutuare glo- rioſum æſtimant, nec peius habere ſe ſen- tiunt dum luculentum deprauatæ naturæ teſtimonium adijciunt.

Audio etiam veſicatos quoſdam omnibus è conuiuio aut ſodalitio ad exonerationem excedentibus immobilitatem ſuam attollen- tes: quid autem vilius quàm aut inſolitam veſicæ capacitatem, aut violentam exten- ſionem naturæ perfectioni & aptæ corporis diſpoſitioni attribuere? & quod amplius: bonum malum dicitur, malum bonum: vir- tutes in vitia, vitia in virtutes abiêre: dedecus in decus

in decus migrauit, & nequam hominum abſurditas honorem quærit. Sed hanc ſemitam terunt

—— qui ſemel omnem
Exuerunt animo poſitâ virtute pudorem.

Veram autem gloriam negligimus hoc eſt virtutem: nec eſt qui pietatem profiteri, niſi cum verecundia audeat; pudet quoſdam Presbyterij: & quid honorificentius, diuinæ Maieſtatis & tremendæ ad humanum genus Legatione fungi? vſſit alios vbi ſacris ſe ordidinibus initiatos vulgatum aduerterunt. Ruborem quorundam video quorum deuotionem ſola ſociorum præſentia interpellat: quid? ita dedecori, ipſa oratio vertitur, vt negligere eam ſtolidi quidam adoleſcentes malint, quàm huic incumbentes aſpici,

——— Et ſic inflectere ſenſus
Humanos errore poteſt hæc gloria inanis.

Claudo miſerabili hac vitæ humanæ Metamorphoſi & caput & ſuperbiam, omnibus verum moralis Philoſophiæ ſtudium commendans; vt vnius omnium maximi vitij fæditatem, vnius omnium maximæ virtutis, humilitatis puto, decus inſpicientes, integritatem ament.

CAPVT

CAPVT XVI.

Scena Auarorum.

Nihil æquè (vt conſcientiâ teſte loquar) admirari ſoleo quàm diſpoſitionibus quibuſdam alteratam terram & calore ſolis coctam, quàm concharum quarundam ſupèrfluitates, draconum itidem, ſerpentium & virulentorum quorundam animalium accidens nobiliſſimam ſublunarium creaturam in admirationem rapere. *An gemmarum fulgor, cui ſummam excellentiam opinio noſtra dedit, oculos trahit?* inquit Boëtius, *ſed ſiquidem eſt in hoc ſplendore præcipui, gemmarum eſt lux illa, non hominum; quas quidem mirari homines vehementer admiror. Quid eſt enim carens animæ motu atque membrorum compage, quod animatæ rationabiliq́ꝫ naturæ pulchrum eſſe iure videatur? quæ tametſi conditoris operâ, ſuiq́ꝫ diſtinctione poſtremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infra noſtram tamen excellentiam collocatæ admirationem nullo modo merentur.*

Vilitatem ipſæ ſuam quodammodo opes profeſſæ, erubeſcentes, tanquam hominum oculis & aſpectu indignæ in animalium, in maris, terræque viſceribus deliteſcunt: nihilque natura quod admirationem nobiliſſimi

ſimi hominis, & auaritiam irritaret, in aperto poſuit, pedibus aurum & argentum ſubiecit, calcandumque ac premendum dedit, vultus autem noſtros erexit in cœlum; vt relictis infra pedes noſtros poſitis, (vtpote vultui noſtro vilioribus) celſiore loco conſpectu & ſtupore noſtro æqualia petamus.

Non fugerat hoc credo, (in primis repurgati mundi incunabulis) prudentiſſimos noſtros maiores, viuebant feliciùs illi generoſi lapillorum & metallorum deſpectores, rerum ad neceſſariam non ſuperuacuam corpuſculi conſeruationem permutatione contenti: puriſſimum iſtud ſæculum erat ſine auro, lucidiſſimum ſine lapillis; ſed paulatim homines à puritate & luce mentis degenerantes cum auro fædiùs, cum gemmis & margaritis obſcuriùs introduxerunt.

——— Itum eſt in viſcera terræ
Quasq́ recondiderat ſtygijsq́ admouerat vmbris
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Sed nuda adhuc argenti & auri metalla erant, vt in vſus valerent placuit Regum, Principum, & Dinaſtarum imaginibus effigiari: & iam vſui ſeruiebant, imò & abuſui: dubites vtri citiùs. Iure Boëtius:

Heu primus quis fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmasq́ latere volentes,

Pretioſa

Pretioſa pericula fodit?

Nummuli non fuerunt quin & pericula, quin & vitia, quin & ſcelera. Nec poterant niſi ſordes eſſe vbi ſordes imperium ſumpſerant: ſimul ac venerunt, omnia potuerunt, cùm raritatem omnes æquè adamarent. Peruertere iura, tranſgredi leges, corrumpere iudicia pecuniæ docuerunt: abiectum decus eſt, pulſa verecundia, proſtituta pudicitia: repleti auro ſinus reſerari ſe patiebantur, corruptelæ rupturam inueniebant: hinc & ipſe

Iupiter admonitus nihil eſſe potentius auro,
Corruptæ pretium virginis ipſe fuit.
Dum merces aberat, durus Pater, ipſa ſeuera,
Ærati poſtes, ferrea turris erat.
Sed poſtquam ſapiens in munera venit adulter,
Præbuit ipſa ſinus, & dare iuſſa dedit.

Vitioſa hæc auiditas auaritiam fecit, ſpecioſam ærumnam & ſplendidam miſeriam: ilicò enim Midas ſuos, quos haberent, metalla habuerunt: qui è venis eruerent turpiter & abſconderent turpiùs.

Et licet violentum imperium eorum videatur, perpetuum tamen eſſe non deſinit: vſque nunc in cordibus hominum eſt, & quod mirere, maximè ſenum, cùm ad omnia aliâ ætate rectiùs ſapiamus. Multò iam plures ſunt qui pecunijs habentur quàm qui

habent, quibus non pecuniæ ſed qui pecunijs ſeruiunt. Sic nos noſtra cupiditas vilitaſque animi de dominis ſeruos fecit: illis ancillamur, illis humiliamur, illis obſequia, illis ſeruitia, illis vota facimus; nec aliquid tam abiectum, tam vile, tam arduum, quod ab eius deſiderio nos auellat: terrebant olim maria. Hinc Boëtius:

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terraſq; ſua poſt terga videns,
Animam leuibus credidit auris;
Dubioq; ſecans æquora curſu,
Potuit tenui fidere ligno;
Inter vitæ mortiſq; vias
Nimium gracili limite ducto.

Helleſpontica, Hadriatica, Mediterranea, Balthica, ſinus, freta enauigaſſe iam ludus eſt. Aboleuit in Herculeis columnis, nihil vltra; plus vltra, ſubſtitutum eſt: vltra enim Solis Oceanique vias opes quærimus: enauigáre orbem cum vitæ diſpendio nummorum compendium facit. In Indias, Africam, Occidentem & Orientem vagari placet, aliena regna, alienas terras ſcrutari, montes fodere, aquis mergi & luce poſt ſe relictâ triſtes & obſcuros terræ hiatus excutere, nihil amplius noui eſt.

Sicca iam Africa vniuerſa nobis erat, ex-
hauſtæ

hauſtæ orientalium ſchatebræ videbantur, alium orbem quærebamus, qui adiectus eſt: nec ſufficit, ditiorem quærimus, ac Dei terminis ſuccenſemus vt minoribus quàm auaritia noſtra inexplebiliſque cupiditas poſtulet. Senſerunt Peruana, Cuſconis, Mexicana, Hiſpaniolæ, Cubæ, Virginiæ, Magellaneæ, vtræque Guineæ, Monomotapæ Regna, exitio penè ſuo, crudam ſemper Europæorum rabiem. Moluccarum, Maldiuarum, Iauarum, Madagaſcaris, & aliarum innumerabilium, continenti licet diſtinctarum, inſularum incolæ, eſuriei noſtræ nihil inuium; nec oceani & naturæ munimenta, quæ auiditatem noſtram aliò verterent, ſatis munita: ingluuiem noſtram periculis non reprimi ſed irritari, ſeruituti deſtinatæ gemunt. Nocuit infortunatis fortunata felicitas. Quos integros & liberos natura genuerat, ad mancipia humiliauimus; ad mancipia prius (prô pudor) ſpretâ libertáte à mutis opibus vltrò deiecti.

Quis ita iuſto Domino inuigilat, quis ita Diuis, quis ita ſupremo mundi & Cęlorũ Monarchæ vt verâ felicitate gaudeat, quàm humanum genus abſurdiſſimis hiſce Tyrannis, opibus puto, geniculatur & auſcultat? circa Promontoria toto cęlo diſſita, circa viride & turbulentiſſimum malæ (bonæ tamen ſpei)

caput, circa regiones polo Antarctico penitus ſubiectas, ter, quater, quinquies, mille à natali ſolo milliaribus, mercatores Belgas, nimiâ vitæ prodigalitate infames, ſtudioſiſſimos intueberis. Diſtrahunt ibi, mercantur, laborant, ſudant, ſanguinem & robur Mercurio offerunt, & dimidiatas vires in Europam tandem referunt. Nec dolis ibi, fraudibus, & iniuriâ quæſita ſatiant, bis terve repetere non erubeſcunt, vt terminus tandem vitæ cupiditati limitem, vix limitem faciat.

Quis iam iniuſtitias omnes, quis fraudes, quis dolos dilucidè aperiat? impoſſibile hoc mihi eſt: mallem ipſos mercatores, inſtitores, auaros omnes, occluſa pectore ſcelera vomerent, vt toxicum iſtud ſinguli ad plenum conſpicarentur. Dicam quæ præter oculos eunt.

Quis ſangui-ſugas rei frumentariæ copiâ circumfluentes non aduertit? temporum difficultates obſeruant, ex annonæ penuria lucrum captant, ex aliorum calamitatibus meſſem faciunt. Video qui duplici menſurâ & ſtaterâ æquitatem euertunt: video qui latifundijs corruptione & iniuriâ euictis dilatantur, & iam alia habent, alia adijciunt, alia primo quoque tempore adiecturi: video duplicatas ex neceſſitate egenorum vſuras; vi-

ras; video in vectigalibus & licentijs iniuſta munera: video donationes fraudulentas & illegitimas: video reſignatione perſonatam Simoniam: video quæ pudet voluere & ſcriptis commendare. Quærendarum opum per ſcelera, per funera, finem & modum nullum facimus. Semper auidi ſumus, vt ſemper auari ſimus: nihil enim auaritiâ vſquam ieiunius, nihil miſerius: cuius famem & quærenda excitant, & quæſita non ſatiant. Hinc benè Stoicus: *Auaritia eſt vehementiſſima humani generis peſtis, cupiditati nihil ſatis, naturæ ſatis eſt & parum; quicquid ex deſiderio, quod non ex inopia, ſed vitio naſcitur, congeſſeris: non finis erit cupiditatis, ſed gradus:*

Intereà pleno dum turget ſacculus ore,
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſſit.

Nam qui legitimis finibus ſemel exceſſerunt, nec vſibus vitæ neceſſarijs, ſed voluptatibus egeſtatem definiunt, ijs vtique ſimiles exiſtimandi ſunt, qui pronum feruntur: vt enim illi, quia nihil firmum ac ſtabile habent, in quo pedem certò figere queant, vlteriùs volui non deſinunt: ſic etiam iſti quò plura quæſierunt, eò maiori congerendarum opum ſtudio inardeſcunt: ac proinde non abs re dicebat Solon:

Fixus opum non eſt finis mortalibus vllus:

Vtpote

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Licet omnes Cræſi, Craſſi, Pompeij Magni, Lucculli, Salomonis, & potentiſſimorum quorumque opes ad vnum auarum confluant, necdum ſorte ſuâ cõtentus viuet: ſed quæret alia & ampliora, manifeſtans indigentiam ſuam & egeſtatem, cùm in tantis diuitijs ridiculè egere ſe prodat, hinc Appullæus: *Diuitiæ non meliùs in fundis & in fœnore, quàm in ipſo hominis æſtimantur animo. qui, ſi eſt auaritiâ egenus & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus auri ſatiatur, ſed ſemper aliquid, anteparta vt augeat, mendicabit. Quæ quidem vera confeſſio eſt paupertatis, omnis enim cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit. Nec refert quàm magnum ſit quod tibi minus eſt: non habuit tantam rem familiarem Philoſophus, quantam Lælius; nec Lælius quantam Scipio, nec Scipio quantam Craſſus diues. At enim nec Craſſus diues quantam volebat, ita cùm omnes ſuperaret, à ſuamet auaritia victus eſt, omnibuſq; potius diues viſus eſt, quàm ſibi.* Subiungam nobiliſſimos nobiliſſimi Boëtij verſus:

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verſat arenas,
Et quod ſtelliferis edita noctibus

Cælo ſidera fulgent,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu:
Humanum miſeras haud ideò genus
Ceſſet flere querelas.
Quamuis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri,
Et claris auidos ornet honoribus,
Nil iam parta videntur:
Sed quæſita vorans ſæua rapacitas
Alios pandit hiatus.
Quæ tam præcipitem fræna cupidinem
Certo fine retentent?
Largis cùm potiùs muneribus fluens
Sitis ardeſcat habendi?
Nunquam diues agit qui trepidus gemens
Seſe credit egentem.

Cùm omnia habere videantur, nihil habent, & in ſummis diuitijs pauperes ſunt; cùm & pauperes ſibi videantur, mendicare non erubeſcunt. Quis abſurdiſſimum Imperatorem eum (ſi Imperatorem nominare fas eſt qui neutiquam nec ſibi nec alijs honeſtè imperauit) non nouit, qui à ſingulis Romanorum in ædium veſtibulis ſtrenas colligebat? Quis illum, qui ſtatuam ei in foro offerentibus, dextram porrigens, fundamentum iam poſitum demonſtrabat? Mendicare ſtatuæ pretium dextera malebat, quàm poten-

tiæ & decoris ergò in publico collocari: quin & aurum in vita Craſſus & Cyrus ſitientes, poſt mortem auaritiæ teſtimonio aurum bibere didicerunt.

Ambitioſiſſimus Prouinciarumque auariſſimus expilator Ruffinus, cupiditatis ludibrium ſub Arcadio, poſt mortem obolos mendicare cœpit: detruncati enim brachij palmæ oblato obolo tractis mox neruis attractis ſtrictiſque digitis auidè munus recipiebat, vt pulchrè Claudianus:

Dextera quin etiam ludo conceſſa, vagatur
Æra potens, pœnaſq; animi perſoluit auari
Terribili lucro: viueſq; imitata retentus,
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.

Tam celebria ſcilicet conformi vitæ nænia debebantur, tamque infamis auaritiæ vita tam infami cupiditatis ſigillo poſt mortem muniri, vt neminem fugeret maximam egeſtatem auaritiam eſſe, quæ nec in vita nec in morte ſatiari poſſe videretur.

Quid? illudere ipſi iam rerum naturæ paternæ fraternæque charitati conſueuit; hæreditas affectum aperit & maiorem quidem in auro & opibus, quàm parentibus liberis & germanis manifeſtat. Et quis ſæpiuſculè amplius non aduertit? pone fidos fratres, pone fidos errores, pone vnanimes amicos in conſilio, in conuiuio, in chorea, in amplexibus, dehinc

dehinc modicum inter illos non dicam pomum aureum, ſed pomi fruſtum, iaciat Diſcordia, his olim armis vti ſolita, gladijs ilicò ſeria iocique frangentur, & auulſi amplexus etiam chariſſimi in reciprocam corporum mutilationem declinabunt,

——— Et pars viliſsima rerum
Inducent certamen opes:

Vtpote *—— Nec bella fuerunt,*
Faginus aſtabat cùm ſcyphus ante dapes.

Vt autem abſurditas vitij honeſtiùs obducatur, excuſationem etiam ſuam inuenit: liberorum multitudinem obijciunt, à mutis ad curam eorum inſtigari; vtpote Leæna cum Tigride ſit enixa ferocior, & animalia manſueta nouæ prolis amor exaſperato. Sic vitio velum pietatis obtenditur: neceſſitatem enim iſta monſtrant, non auaritiam: nulli enim nos vitio natura conciliat.

Sed eſto, ad vnum aliquem Craſſum immenſæ opes confluxerint, onera tamen ſimul confluxerunt: latet & ſub auro calamitas. Vſus quidem pecuniæ notus eſt vt naturæ neceſſaria comparentur, parua ſimul & exigua longéque facilia: quicquid exceſſerit, graue eſt, nec iam diuitiæ ſed vincula, ſed compedes, nec iam corporis ornamenta ſed impedimenta, animi & ſollicitudinum atque formidinum aceruí.

Quamuis fluente diues auri gurgite
Non expleturas cogat auarus opes,
Oneretq; baccis colla rubri littoris,
Ruraq; centeno ſcindat opima boue,
Non cura mordax deſerit ſuperſtitem.

Siquidem quærendi ſtudium vnum fuit, ſeruandi labor eſt multiplex, nunquam deerit quod reuiſat, quod numeret, quod complicet, quod excutiat, quod abſtergat, quod oculos ſimul & mulceat & offendat. In omni conuiuio, conſortio, chorea, & quibuſcumque alijs recreationibus, quas honeſta recollectio inuenit: ipſe luridus nunquam lætus, aurum ſuum meditatur, aurum ſuum ſomniat, in auro ſuo viuit; corpus in conuiuio, in chorea eſt, animus in arca: os quod ſimilato riſu mouetur, opes murmurat: intellectus, memoria, voluntas monetæ inſepulta, erigere ſe ad alia nunquam poſſunt: ſic vt abſentes iure dixeris, vbi præſentes corpore, niſi in arca conſpexeris. Vbi lares ſuos repetierunt, nihil illis antiquius quàm aurum ſuum reuiſere, numerare ſingula, auro mergi, auro volutari, nec ſeciùs quàm idolum aliquod adorare. Ad hoc iſtud Ambroſij: *Sicut ij qui per inſaniam mente tranſlati, non iam res ipſas ſed phantaſias paſſionis ſuæ vident. Ita etiam mens auari ſemel vinculis cupiditatis aſtricta ſemper aurum, ſem-*

per

per argentum videt, ſemper redditus computat, gratiùs intuetur aurum quàm ſolem. Sola & omnis in aſpectu delectatio eſt. Nec alterius niſi poſſidentis oculos paſcit, nunquam ſatiat. Nihil in ſummula imminutum volunt, ſed perpetuò auctum: hinc arculis ſemper concluſa, nulli hominum ne poſſidenti quidem proficua eſt. Sic vt nummulos an ſilices verſent, æquè auaro vtile ſit.

Subijciam opportunam, nec illepidam, ex Franciſco Petrarchâ elegantiſſimis eiuſdem verbis Hiſtoriam. *Fuit nuper*, inquit, *apud Italos nobilis & egregius quidam vir, poſſeſſionum antiquarum diues ſatis, ditior virtutum, ſed pecuniæ non: ita vt cuius non cuſtos ſed diſpenſator ac Dominus eſſe didiciſſet. Erat illi filius primogenitus, fori negotijs apprimè induſtris, qui vigili curâ & parſimoniâ ingenti, magnas opes multumq; auri quæſierat: & erat, mirum viſu, in patre ſene iuuenilis largitas, in iuuene filio ſenilis tenacitas. Sæpè illum pater hortabatur, ne ſuum ingenium fraudaret, ne pietatis obliuiſceretur ac famæ, néve in comparatione auri, & decus & debitum & naturalia ſibi iura vileſcerent, denique vt ſibimet, annoſæq; matri & fratribus paruis, & conſanguineis, amicis, & egentibus prodeſſe aliquando diuitias ſuas vellet: in hos enim vſus, non in cuſtodiam tantùm ac ſupplicium partas eſſe dicebat: hoc pater. Id fruſtrà vel ſurdo canitur, vel auaro. Contigit tandem*

tandem pro Republica filium abeſſe, & cum electis viris ad Romanum Pontificem proficiſci. Quo digreſſo pater occaſione arreptâ, nouis thalami arculaq́ue clauibus introgreſſus, theſaurum nulli vtilem è latebris eruit, ſeq́ue & coniugem, & filios, familiamq́ue omnem exquiſitiſſimè induit. Emit equos ornatiſſimos, vaſa argentea, ſupellectilem ſpecioſam, vltimò domum amplam ſed minimè cultam nouis auxit ædificijs, & picturis inſignibus exornauit, muniuitq́ue rebus omnibus quas lauta & liberalis & abundans vita exigit, multa præterea pauperibus dedit. Sacculos verò, vbi aurum illud filij fuerat, arenâ lapilliſq́ue flumineis plenos, obſtructóſque, & obſerata omnia, quoq́ue prius in ſtatu fuerant, dimiſit. Quæ cuncta breuiſſimo tempore geſta ſunt, quod & voluntas egregij ſenis & pecunia prompta eſſet. Redeunti dehinc filio fratres obuij fuêre, quorum ille occurſu hæſit, indumenta atque habitum miratus, qualem antea non vidiſſet: quæſiuitq́ue cuius eſſent equi, vnde & illæ veſtes: læti atque omnium ignari, ſimplicitate puerili, Domini patris eſſe, multóſque alios domi in ſtabulo ſubſtitiſſe dixerunt: vtrumque etiam parentem multiplici ac regio eſſe veſtitu. Magis ille magiſque ſingula cœpit mirari. Inde vbi paternæ domus limen attigit, vix parentes vixq́ue ipſos parietes recognoſcens, nec admiratione iam ſimplici, ſed ſtupore plenus atque exſtaſi, thalamum atque arculam feſtinus adijt: vbi cùm exterius nil mutatum

cerneret, parumper animo conquieuit. Et iam collegarum præſentia ac feſtinatio am- non ſinebant, raptim arculam aperuit, ſaccu- conſpectis ſolito more turgentibus atque ob- tis, iam ſecurus abijt. Mox negotio publico ex- to domum rediens, in thalamo ſe incluſit, arcu- aperuit, ſacculos introſpexit: aurumq́ in am verſum reperiens, exclamauit. Accurrit r, & quid, inquit, rei eſt fili, quid quereris, quid fles? amiſi, inquit ille, pecuniam quam tis quæſitam vigilijs, multiſque laboribus in ſacculis dimiſeram: ſpoliatus tua ſum in domo r. Ad hæc genitor: quomodo, ait, ſpoliatus es, ne ſacculos omnes plenos video? ille autem ge- is: arena, inquit, pater, non pecunia eſt. Si- l hæc dicens, apertos patri ſacculos oſtentabat. n Senex fronte nihil motâ: quid, inquit, refert apud te arenâne an pecuniâ pleni ſint? memo- ile dictum præclaraq́ ſententiæ. Siquidem d multos otioſa pecunia eſt, nihilq́ agit aliud quod locum occupat atque animum. Apud pau- fructuoſa eſt. Optimè, quis autem vltro- am hanc miſeriam non rideat? infructuo- opibus anguntur, æquè diuites futuri vbi rdiderint: quod tanto enim labore quæ- um eſt, inacceſſum volunt. Quidquid om- ous abſtulerunt, ſibi ipſis negant: abſurda iſque veſtis eſt, curta ſupellex, ridenda acitas, exiles cibi, ieiunus ſtomachus, ſte-

rilis beneuolentia, ieiuna virtus, & ipſe auarus miſeriæ cauſa ſuæ eſt. Vt iure meritò dixerit ille:

Deſunt inopiæ multa, auaritiæ omnia,
In nullum auarus bonus eſt, in ſe peſſimus.

Noui ego diuitem, inquit Ambroſius, *in agrum proficiſcentem panes breuiores vrbe delatos numerare ſolere, vt pro numero panis æſtimaretur quot dies in agro futurus eſſet: nolebat obſignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis vnus ſingulis diebus deputabatur, qui tenacem vix ſatiare poſſet. Comperi etiam viri fidem, ſi quando ei ouum eſſet appoſitum, queri quod pullus eſſet occiſus.* Quid calamitoſius? ne maiorem quidem inimicum imprecaturum cenſuerim, niſi cum longæua vita perpetuam auaritiam.

Nec minus incommodum ſollicitudo adfert, indiuidua auaritiæ comes: furta quæ meretur timet, & ſpoliandi ſui multiplices etiam friuolos ſibi modos obijciens, continuâ anxietate iugiter torquetur. Et iam indiſcretus auaritiâ animus, impoſſibilia poſſibilium inſtar apprehendit: ferro arcula diuerſiſque ſeris munitur, quas ſuſpicionibus facilè auaritiâ natis identidem mutat, ſummâ curâ firmat thalamum, nec clauis eiuſdem niſi proprijs manibus concreditur, imò ne ſic quidem ſatis tutos ſe autumant; migrat

grat nonnunquam chariſſima ſarcina de loco in locum. Nec rarò, quod iuſtè terra abſconderat, erutum deinde, terræ cum iniuria reconditur & abſconditur. Quis hominem eum & non arcam potiùs dixerit, qui nullis alijs niſi auro & pecunijs ſuis poſſidetur? qui nùllibi niſi in pecunijs ſuis viuit? torturam & ſibi conciliantem & perpetuam quidè tolerantem? Rectè ergò Cicero: *Dies noctesque cruciatur, cui non ſat eſt quod eſt: & ipſum quod habet ne diuturnum ſit futurum timet.*

Quid autem vbi aut fortuitò amiſſa, aut dolo furtóve ſubrepta? plus quàm animæ iacturam è luctu conieceris: ſicut enim auro nihil ſceleſtius quæritur, ita nihil mœſtius perditur. Peccatum nempè ingens animæ detrimentum ſpernitur, proximumque illi famæ damnum contemnitur, & amiſſum tempus inter leuia numeratur. Lentè flentur fratres perditi, lentiùs parentes, lentiſſimè coniuges; ſæpè verò lætiſſimè: ſolæ opes flentur acriter, veriſſimumque eſt illud:

Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris,
Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera.

Vt iam non Ironicè, ſed ſimplici veritate illa Euripidis ipſo planctu aperire & effundere videantur,

Pecunia

Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris aut blanda poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.
Tam dulce ſi quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores cœlitum atque hominum
mouet.

Manere itaque pecuniam malunt quàm parentes, manere, inquam, vt & onus maneat & error, iſque difficilis atque perpetuus, qui non niſi cum anima ponatur: viuere tamen optant, vt voluntario morbo deterius ſemper habeant: vel ipsâ morte melius habituri, hinc ille: *Auarus nihil rectè facit, niſi cùm moritur*: ſic profectò eſt: viuens enim nulli bonus, nec ſibi nec alteri: moriens hæredem voti compotem facit, & ſe curis liberat, nulli malus.

CAPVT XVII.

Scena Prodigalium.

VItia virtutibus contigua ſunt, vbi paululum ſupra vel infra medietatem declinaueris, virtutem tranſijſti. Duabus extremitatibus præſſa virtus inuiolata quidem eſt, ſed & anguſtata: quia cautos itaque ambulatores tantùm admittit, paucos habet, nec ſatis conſtantes. Vnico paſſu inconſideratè poſito vel

vel hàc vel illàc labimur; ad auaritiam, ſapientiſſimam ætatum deflexiſſe vidimus, tranſilitâ liberalitate incautior ætas & generoſior ad profuſionem tranſgreſſa eſt. Commune hoc adoleſcentiæ vitium, cùm minus quàm oporteat ad rem attenti ſimus. Sed quod mirere, ex contrarijs omninò cauſis idem tamen effectus eſt: tenacitas maturiores egenos facit, iuniores elargitio: ſapienter itaque à Sapiente Romano dictum eſt: *Auarus nunquam habet, prodigus nunquam habebit.* Ita reuerà eſt, & minus perſonata profuſio exemplo id ſuo apertiſſimè demonſtrat. Leuatis palpebris dirigamus oculos ſatis eſt, non intendamus neceſſarium.

Quicquid extra neceſſitatem & honeſtatem expenditur, profuſio eſt. Quid dicam? Rüit ergò cateruatim genus humanum per vetitum nefas: quòcumque me verto, prodigalitatem aduerto. Inſpiciam opera publica, priuata, turres, domos, tecta? quadruplices, quintuplices, & ſextuplices contignationes video, & domus aliæ iam alijs quaſi inædificantur; tantâ mole, tanto labore, tot cælaturis, tam peregrinò lapide, tam rarâ materiâ, tam caro artificio, tanto denique ſumptu, vt abieciſſe etiam opes videri velle videantur: argenteis laminis gradus obducuntur, clauorum nodi auro veſtiuntur. Cal-

camus itaque & iam aurum & argentum: culpabiliores quod mercatores hoc faciant: marmora ſcilicet ſangui-ſugis iſtis viluêre, cariùs laſciuire placet; æſtimatiſſimis vtpote metallis pretia perdere & in ijs ſanguinem & ſudorem plurimorum conculcare magnum ducimus. Video qui aromatibus polo Antarctico aduectis ignem ſtruant: abominabilis nauticorum Thraſonum profuſio, plectenda potiùs quàm admiranda.

Egrediar ad plateas, perſonas intuebor & amictum? Extra honeſtatem omnia video & dignitatem, vt quæſiſſe videantur, quomodo paucis prodigerent. Vide quæ ſuprà de luxu veſtium, & nihil his addo, dico tamen vinci à plebeis nobiles: eò vſque deuentum eſt, vt neminem veſtimenta diſtinguant.

Veniam ad Patresfamilias & adoleſcentes? iniurioſiùs iſti, hi petulantiùs excedunt: video enim quoſdam illorum tam pertinaciter Genio ſuo indulgere, vt nec penuriâ filiorum moueantur, foris lautitiâ profuſos, filios intus eſurie macerari. Video cum probro laſciuire parentes, egeſtate prolem premi: vtroſque autem neceſſarijs & decentibus operimentis deſtitui. Video parentes iam non parẽtes, dilapidatâ re familiari natorum miſerijs non amplius miſereri, & ſpretâ miſericordiâ Tyrannidem in propriam prolem

ſuper-

ſuperinduere, & truculentiùs neminem in ignotum, quam prodigum in filios deſæuire.

Et quò immitis prodigalitas non progreditur? comperi Heluetium noſtro ſæculo ad nefandiſſima, notâ prodigalitate, deſcendiſſe. Erat illi multa proles, venuſta etiam, ſed tali parente infelix: ille continuus in popinis, nec vllum finem effrenis prodigalitas faciebat: imminuta itaque, vt ſolet, paulatim res familiaris, mox egeſtas & penuria; hinc iuſtiſſimæ prolis lachrymæ, hinc querimoniæ: ille non moueri, aſperari omnia, & abdomini veluti natus, idolo ſuo hoc eſt ventri litare non deſinebat: quicquid fortuna proiecerat, id vnius helluonis ventri proiecerat: quicquid dederat, ſibi ſoli & profuſioni ſuæ datum æſtimabat. Ille cibo potuque oneratus, ieiunæ etiam prolis lachrymas moleſtiùs accipiebat. Omnibus ad extremum profuſis quærebat adhuc quod prodigeret, & infelicium liberorum conſtricta viſcera fame conficiebantur: extorſit itaque lachrymas & preces natorum fames: ille inops ſolito more ad amitam vadit, panem poſtulat. Illa continuâ iam elargitione ignauior, ſe excuſat. Quid ille?

Furijs agitatus iniquis

Lares repetit, & pueris refectionem flagitantibus, *Dabo*, inquit. Arrepto autem vno

viuum calidâ & ebulliente aquâ mergit, alios alijs modis interficit. Primogenita genibus aduoluta, emollire furibundi parentis ſæuitiam nitens, *Ignoſce genitor*, ait, *ignoſce mi parens nunquam poſt hac panem petitura*: ſed Medæam veluti (prô dolor) ſortita, alienis tuta, prodigi parentis manibus, ne rea quidem, infelix ſuccubuit. Aderat iam cum panibus pœnitens amita, & inopinato perculſa ſpectaculo vociferans factum prodit: apprehenſus ilicò reus iuſtas, & prolicidij & prodigalitatis pœnas exſoluit. Placuit hoc ſubijcere, vt quò profuſio hominem rapiat, exemplo illuſtraretur.

Ad Iuuentutem venio, maximè autem eam quæ vel patrimonio adepto, aut ſtudij & exercitij gratiâ, remotis ſede natali vrbibus degit. Parabolam horum ore ipſius veritatis promptam habemus: quid enim volubilius, quàm in adoleſcentum manibus pecuniæ? facili animo laboribus parentum & ſudore ludunt. Fluxiſſe ad eos pecunias diceres, nec tantâ genitorum curâ quæſitas, quas ita temerè dextera profundit, dubites, amorem pecuniarum an odium habeant. Expectâtur, exoptantur, æſtimantur, quotcumque allatæ fuerint, gratiſſimæ ſunt, abutuntur tamen vt ingratiſſimas iudicares. Pati præſentiam non poſſunt, quæruntur occaſiones (vel non

quæren-

quærentibus obuiæ) vt dominium earum ad alios transferant: pauciſſimæ neceſſarijs impenduntur, plurimæ vanitati. Loculis tandem vacuis ad alias reſpiciunt, & mirabiles interim parentibus compitus cuduntur. Remedia petendarum comminiſcuntur, vt plurimum autem larua veritatis mendacium colorantes: ſic genitores decipere & ſeipſos iuuat. Et adſint iam aliæ, ad modicum temporis eis obſequuntur: potior ilicò pars creditoribus cedit, reliquum non ſecus ac aquæ nonnullæ per canalem dilabuntur, aliæ deinde atque aliæ exſpectantur, & idem quærendi modus eſt, qui perdendi, nempe vitioſus: quæcumque tandem aliæ adferantur, ditiorem non faciunt, ſemper egenum: quicquid liberalitas parentum aut amicorum obtulerit, apud neminem breuiùs quàm prodigum moratur.

Et pallium iam prodigalitatis ſtudioſa iuuentus inuenit; pecunias nempe illius rerum tranſeuntium atque mortalium dominæ eſſe, quæ Fortuna dicitur, ad illius manus deuenire, inde rurſus ad alios atque alios abituras, apud neminem diu manſuras: vagas eſſe, ſtare neſcire; neque ſine myſterio nummulos rotundam formam ſortitos; vtpote volubilitatis indicium: naturam diuitiarum eſſe, labi continuè ac volui, odiſſe vnius ſeras arculæ

crebris ac varijs poſſeſſoribus delectari, vt rubiginem motu vitent. Veriùs, vt fallant circuitione quamplurimos; veriùs, vt cum Dominis ſuis de inſtabilitate contendant. Specioſa aliàs verba, nec inficior; niſi profuſionis fuco adulterarentur.

Ego neque amorem pecuniæ, neque odium, ſed frugalitatis ſtudium auaritiæque fugam laudo. Vt amare enim, puſilli animi, ſic pati non poſſe aurum, infirmi eſt, parumque ſibi fidentis atque auro ſuccumbere metuentis. *Magnus ille eſt*, inquit Annæus, *qui fictilibus ſic vtitur, quemadmodum argento; nec ille minor eſt qui ſic argento, quemadmodum fictilibus vtitur*: vt intelligas ſeu vitium ſeu virtutem non in rebus eſſe, ſed in animo. Nec amatorem pecuniæ, nec oſorem: ſed abſentis contemptorem, præſentiſque diſpenſatorem egregium, magnum putes.

CAPVT XVIII.

Scena Luxurioſorum.

B*Landum eſt malum luxuria*, fateor libens cum valerio Maximo, *quam accuſare aliquantò facilius eſt quàm vitare.* Omnes totius orbis angulos percurro, inſpicio nationes, gentes, regna, prouincias, maria, etiam flumina, amnes, diſcutio

ſingulos

ıgulos homines, ſcrutor ſingulas hominum
ates, & nihil hoc errore vacuum, nihil in-
ɔlatum aduerto. Reptamus infantes, lu-
mus pueri, adoleſcentes inſanimus, con-
ctamur viri, & vt Plautus, ſenes delira-
ıs. Ita nullam vitæ partem perdimus, ſed
ıne æuum varijs quidem errorum gradi-
ıs, vno ſtultitiæ tenore traducimus.

Quod ratio poſcit vincit ac regnat furor,
Potenſq́; totâ mente dominatur Deus
Hic volucer, omni regnat in terra potens,
Volitatq́; cælo pariter & terris, grauis.

Neſcio quid dicam niſi tantis in tenebris
quid æthereæ lucis affulſerit, parum ab-
n ab antiquorum ſententia, vt non naſci
ıtimum fuerit, proximium quamprimum
ɔri. Conflictamur ſiquidem & labimur:
:ione noſipſos ſuperaturi, voluendo rem
riculoſiùs laboramus. Parcus eorum nu-
:rus eſt qui blandimentis hiſce Syrenum
ecti, excuſsâ ratione, naturæ non obſecu-
ınt.

Non ſecus ac Bifrons quidam Ianus ad
te & poſt diluuium retrò ſæcula oculos
ıerſos habeo, nec vllum Veneris ſatelliti-
s caruiſſe, ſed abundaſſe video. Ipſius Pro-
ɔlaſtæ abnepos Lamech cupiditatibus ſuis
ctus, ne vnâ quidem nuptâ contentus, pri-
ıs digamus, Adam & Sellam ſibi copulauit.

Quid autem ſalacius ſubſecutis ſæculis? quid turpius? *Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchra, acceperunt ex eis ſibi vxores*: Corruperat quippe adeò omnis caro viam ſuam, vt creatorem etiam creationis pœniteret: Sacræ hoc Scripturæ teſtimonium eſt. Extinctis igitur tot hominum myriadibus, pruritus extingui non potuit, nec quæ adhuc ferè in oculis vindicta, conceſſæ vitæ beneficio obſtrictos terruit. Cham ſuum & Chanaan inuicta Venus habuit, quorum ſalacia vigorem adhuc priſtinum aperiret: famoſam deinde Babylonem, hoc eſt, Veneris Aſylum, hoc eſt, turpitudinum ſentinam, ſortita eſt. Necnon imperij non minus quàm cupiditatum æmulam Niniuen, notiſſimâ Sardanapali mollitie infamem. Taceo infelices Sodomas, taceo toto terrarum orbe Deo electam Iſraëlis familiam, non ſenſiſſe potiùs malum quàm ſuccubuiſſe.

Nec inclita Sapientum Græcorum Philoſophia extra cupiditates ire Sophos ſuos effecit: præpoſterâ quidem libine pleroſque deformes.

Audiamus Dioginem Laërtium: Lib. 1. *Periander*, inquit, *Cratea propria matre ſua abuſus eſt*.

Lib. 2. *Socrates Alcibiadi in delitijs fuit.*

Theodorus

Theodorus ait, Sapientem publicè abſque pudore & ſuſpicione ſcortis congreſſurum.

Phædon captus ab hoſtibus, infami ſe quæſtui addixit.

Stilpo, præter vxorem, Micarete pellice vtebatur.

Menedemus notatur nimis familiaris fuiſſe amaſio Aſclepiadis.

Ariſtippus Lib. 4. de antiquis delicijs, ait Platonem captum fuiſſe amore Stellæ Aſtrologi & Dionis: alij Phædrum addunt, alij etiam Alexim. Lib. 3.

Bion Boryſthenites Theodotæ & Philetæ, Scortis, palam congrediebatur: item duos adoleſcentes, Demetrium & Myrtilanum Leocharem, turpiter amauit. Vnde & ab Ariſtone Chio, corruptor iuuenum dictus eſt. Idem adoptabat iuuenes, vt eis abuteretur. Lib. 4.

Ariſtoteles Hermiæ concubinam amauit, eiq́; ſacrificauit. Lib. 5.

Demetrius Phalereus, qui trecentis ſexaginta ſtatuis æreis honoratus eſt, à Cleone turpiter eſt perpeſſus.

Antiſthenes dicebat, ſapientem formoſiſſimis quibuſq; mulieribus congreſſurum. Lib. 6.

Diogenes dicebat, debere eſſe communes mulieres & filios.

Lib.7. *Zeno vxores communes in Republica ſtatuebat.*

Chryſippus in libro de republica, congredi iubet matribus, filiabus & filijs.

Lib.8. *Eudoxus fuit in delicijs Theomedonti Medico.*

Lib.10. *Epicurus Leontiam & Themitiam meretrices, & Pythoclem formoſum adoleſcentem in delicijs habebat.*

Si ſic Philoſophos, infandæ Veneris mancipia Aſmodæus auctorauit, quídni vulgares, Græciamque vniuerſam, talibus magiſtris, libidine diffluxiſſe exiſtimauerimus? Herculè Corinthi ſpecie virtutis & religionis ſecurius inualuit; mille puellarum ſtupris, quotidiano ſacrificio, inexhauſtæ Veneris quæſitus fauor.

Roma, continens aliàs, Clodios tamen ſuos & Appios habuit, & viros triumphales victores gentium, luxuriâ potuiſſe ſub iugum mitti gemuit: bellicoſiſſimi reuerà ſtratagemata & inſidias ſtruere & euitare æquè ingenioſi, gratiſſimis inſidijs opprimuntur.

Duarum toto orbe clariſſimarum gentium longè præſtantiſſimos Duces ad memoriam reuocemus. Iulius Cæſar victor in Gallijs, in Germania, in Britannia, in Hiſpanijs, in Italia, in Theſſalia, in Ægypto, idemque mox in Armenia, in Ponto, in Africa, & rurſus in

ıs in Hiſpania ſupremo Marte victurus, in ıedio tantarum victoriarum, ab amore Re- ;io interim apud Alexandriam victus eſt.

Hannibal apud Ticinum, apud Trebiam, pud Traſymænum, apud Cannas victor: ac lemum in patriâ vincendus ſuâ, prius apud ;alapiam Apuliæ oppidum, quo inexcuſa- ılior ſit, amore meretricio ſubactus eſt.

Quanta tibi videtur mali vis, quæ tam luros animos, tam rigida pectora leui fran- gat incurſu? tam rapidos pedes, tam fortia ɔrachia, fragilibus vinculis liget? linquo fabuloſa & vetera nimis in Belluas tranſ- formatum Iouem, Martem vinculis implici- tum, nentem penſa digitis Herculem, adhuc & Leandrum fluctibus, Biblida lacrymis, propriâ cuſpide Pyramum, Hyphin laqueo pereuntem, Græcorum Duces de amore cer- tantes. Nec miror hæc amplius, cum & San- ctos, vt Seneca:

——— Vincat dira libido.

Quanti & quales Epiſcopi & Clerici, inquit S. Auguſt. *poſt confeſsionum & victoriarum calcata certamina, poſt magnalia & ſigna mirabilia vſque- quaque monſtrata, naſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, tùm volunt in naue fragili nauigare! quantos leones domuit vna infirmitas delicata, id eſt luxuria, quæ cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam!*

Prò

— Prô quanta potentia regni
Eſt Venus alma tui! —

Ipſo rationis crepuſculo, crepuſculum ſimul Veneris eſt, quod aduertimus pueri citiùs quàm intelligimus: cum ætate proficit, nimis quidem feſtina: præcox enim eſt, & maturitatem ſuam in extrema noſtra pueritia habet.

Quis autem æſtus adoleſcentiæ explicet! inſanimus: feruentiùs quidem, quia morbi cauſas, originem, remedia, curioſè inueſtigantes, intelleximus; & ferimur eo vt deſiderio noſtro fiat ſatis: maiorem autem patimur famem, dum dulcius eſſe, quod experti non ſumus, exiſtimamus. Diuinus amor ilicò in exilium mittitur, cupidinium ciuitate donamus: ita amentes quia amantes. Rectè Plautus: *Vbi amor aduenit in cor hominis, & is vſque in pectus permanauit, & cor permadeſcit, ſimul res, fides, fama, virtus, decuſq́ue deſerunt, homo fit modo nequior,* &

Sentit amans ſua damna ferens, tamen hæret in illis,
Materiam culpæ proſequiturq́ue ſuæ.

Non iam ergò amplius quo creatori placeamus, ſed creaturæ, ad fucum & ornamenta confugimus: horum enim omnium indubitata parens luxuria eſt: & oculi ilicò in partem libidinis veniunt, & teſtes eius exactoreſque

eſque ſunt, perpetuò ſpeculis inerrantes, ormæq; ſuæ iudicium ab artificio mutuan- es. Perfectiònes & defectus formæ notantur: plurimis autem fatigatur manus, vt venuſtati quocumque modo ſubueniatur, proprijs oculis puellarum gratiam æſtimantes. Etiam ea quæ aſpectu corporis noſtri poſitio ſubmouit, arte viſuntur: nihil egit natura quod humanæ libidini miniſteria tam maligna dedit. Huc non incongruè illud Annæi vocem: *Adhuc in proceſſu vitia ſunt, inuenit luxuria aliquid noui in quod inſaniat, inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi, inuenit delitiarum diſſolutio & tabes aliquid tenerius & mollius quo pereat: nondum ſatis robur omne proiecimus, adhuc quicquid eſt boni moris extinguimus leuitate & politurâ corporum: muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri ſumimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur: quotidie comminiſcimur per quæ virilitati fiat iniuria, vt traducatur quia non poteſt exui.*

Nec otioſa interim puella eſt: occupatior quidem quia libidinoſior. Speculum ornatus gratiâ inuentum, nulli non vitio neceſſarium factum eſt, vix vnquam ab eo ipſarum oculi, vix vnquam à capite manus, vix vnquam ipſæ à politura corporum recedunt, vt libidinem ſuam inuerecundiùs manife-

ſtent

ſtent: quicquid enim in virorum gratiam comminiſcuntur, corporis libidinem prodit. Ferunt inſolentem Pauonem, cùm curuato collo penniſque gemmantibus circulum efficit, fœminas clangore ſuo ad Venerem inuitare: eodem ipſæ modo formam ſuam excolunt, vt nitidorum & ſalacium virorum oculos ad ſe conuertant. Pinguntur genæ, pinguntur labræ, pinguntur palpebræ: mille modis caput totumque corpus ad pompam & laſciuiam inſtruitur: nihil artificio vacuum, vt nihil libidine iudices. Meritò ego de noſtris, quod Seneca de ſuis: *Proceßit immodeſtiùs paulatim opibus ipſis inuitata luxuria. Et incrementum ingens vitia acceperunt, adeóque omnia indiſcreta ſunt peruerſißimis artibus, vt quicquid mundus muliebris vocabatur, ſarcinæ viriles ſint: minus dico, etiam militares*: Nôrunt ſiquidem quàm multis irritentur, & quàm diuerſis adoleſcentum animos irritent. Nihil omittitur à quo aculeum ſperent.

Eadem tandem cauſa, quæ telo cupidinis ſauciata pectora ad ornatum impulit, ad plateas & mutuum conſpectum expellit. Quæritur eſca, & mox

Fallaces oculi ſunt in amore duces.

Nempe vt idem Propertius:

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Errant itaque furtiuè huc atque illuc oculi: vbi

ui aliorum in ſe laſciuos iactus aduertunt;
uaſi non aduertentes, aliò intentionem ſi-
ulant; vſque dum opportunitatem nactæ,
curiùs vices rependant. Deprehenſæ non-
hil, volant aliorſum oculi:
Vtpotè calari vult ſua furta Venus.
Ad ſpectacula, ad cœtus hominum, ad
:oceſſiones, ad ædes etiam ſacras
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ,
Et locus ipſe ſacer damna pudoris habet.
:equentiam enim libido deſiderat, quam
locis nôrunt: ſecuriùs etiam dum ſub ſpe-
e pietatis laſciuitur.
Laſſa tandem membra (famelicis adhuc
l cupitos vultus oculis) Lares reſpiciunt:
:c tamen parietibus puellæ contineri, nec
loleſcentes plateis abſtinere poſſunt: illæ
xurioſiùs candidis quibuſdam, neſcio qua-
)us, veſtitæ, proxima ianuis ſedilia occu-
ınt: ita compoſitæ, vt nunquam ego nom-
as illas Veneres tranſire ſoleam, quin, ſub-
dens, venales iudicem. Venantur ibi con-
ectus, præſtolantur nutus, deſiderant al-
quia, eorum, credo, quorum fauores &
:ulos eâ die expertæ ſunt. Hi Scenæ huius
)n ignari, audaciam ſubminiſtrante libidi-
, aſſeſſum veniunt. Quis iam hîc artes
anes cupidinis, greſſus graduſq; explicet?
:robique vt placeant laboratur; arma om-
nia ar-

nia artificioſiſſimè explicantur, vt grauiori vulnere, ægri iam antea animi, proſternantur. Multi riſus, multi ſales, fucata verba, & nihil horum aculeo caret. In immenſum ergò creſcit flamma,

Quóque magis tegitur, tectus magis æſtuat ignis,
& iam ſeipſos vix ampliùs in poteſtate habent: ſollicitus enim furor rationem pigram facit. Tegere quidem ſatagunt, ſed exæſtuat hinc inde:

—— Quis enim celauerit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?
Frangi verba incipiunt, interrumpi ſermones, abbreuiari riſus, ſubita ſilentia, & neſcio quæ non alia commoti animi indicia. Et in hiſce infirmitatibus perſeueratur, vſque dum neceſſitas faſcinationes dirimens, aliò cogat.

Tantùm interim ſapidiſſimi veneni bibitum eſt, vt nullum amplius negotium totum hominem habeat: errat in diuerſa animus, nunc in ſermones, nunc in gratos vultus, nunc in illos oculorum flexus, nunc in illius eloquentiam, nunc in iſtius lepôrem, nunc in alterius riſum, nunc in hæc, nunc in illa, & irretiti ſumus gratis laqueis citiùs quàm aduerterimus. Optimè de illis Plautus in Ciſtellaria:

Qui omnes homines ſupero atque anteeo,
Cruciabilitatibus animi iactor, crucior, agitor,
Stimulor,

Stimulor, verſor in amoris rota, miſer exanimor,
Ferror, differor, diſtrahor, diripior:
Ita nullam mentem animi habeo.
Vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus.
Diuiſus herculè homo eſt, vix vnquam ſibi totus præſens: *Amare* ſiquidem *& ſapere, vix Dijs conceditur.*

Appetitus etiam edendi tranſlatus eſt, nec vlli tam delicati cibi aut liquores qui ſapiant, qui recreent. Non vrbanitas ſolita, nec ſolitus agendi modus: noctes etiam diuerſas habet & diuerſa ſomnia. Hinc Ambroſius: *Sæuus criminum ſtimulus libido eſt, qui nunquam manere quietum patitur affectum, nocte feruet, die anhelat.*

Omnes itaq; tam potenti veneficio transformati ad vlteriora reſpiciunt: auariſſimus etenim in amore animus, nec limites habet, nec moram.

Alij indiſcreto affectu illecti, ad Nympham aliquam præproperè indiſſolubili vinculo thoroque ſociandam reſpiciunt, iugi voluptate (ſi ita Dijs placet) perpetuò fruituri. Sed quæ hîc non ad parandos animos ludibria? compendiosè dicam. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolæ, & veſtes eri applicatæ, & oblati & deguſtati cibi, blandæ dulceſque litteræ, compoſiti in laudem vernaculâ rithmi, fucatus ſermo, crebræ

in ſeruitium voces, opum inſinuatio, decorum adamatæ longâ enumeratio, & mille alia artis etiam nomine dudum deriſa.

Hæc omnia cùm gratiam à perſona nanciſcantur, ſi perſona grata eſt, grata ſunt; nec hæc placent, ſi iſta non placet: mira enim hîc rerum diuerſitas. Vt Crocodilus inſequentes ſe fugit, fugientes autem inſequitur; ſic quoſdam eorum amare feruentiùs video, &, quo nihil miſerius, non redamari: amari è contrario à diuerſis, nec redamare: quoſdam integro affectu inſectari, reſpondere autem frigidiùs, blandimentis tamen & alijs luxuriæ & fortunæ illecebris illaqueari: nonnullos æquo quidem, ſed cæco appetitu in inuicem ferri, maximo ſæpiùs vtriuſque damno. Pueris non abſimiles, qui faciem obnupti in tenebroſa veluti caligine hinc inde ſe vertunt, vt cupitâ prædâ potiantur: veſtibus tandem alterius arreptis, obſtaculo viſus ablato, ſpolia quandoque non ſine ſtupore intuentur, ſiue tunc placeat hæc venatio, ſiue diſpliciat, ſecunda non conceditur; ſic iſti amore excæcati, vt gratiſſimâ prædâ fruantur, modis omnibus allaborant: potiti, aperiuntur oculi, & laruâ, quàm furioſus amor fecerat, depoſitâ, clariùs (propriæ inſaniæ ſtupore turbati) & decus & dedecus inuicem intuentur: ſed

ſeriùs,

ſeriùs: reſumere ſiquidem iam alligatis venationem non conceditur; ita

Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine ſenſus.

Et verè Terentius: *Quæ res in ſe nec conſilium neque modum habet vllum, conſilio regere non potes:* hinc tot toto terrarum orbe, amore priùs expugnatas Veneres, inermi mendacio ſecundò expugnari aduertimus: amoris enim vehementiâ fucos, fraudes, dolos, ſpecie nonnullâ veritatis deriſos, facillimè pro ſinceritate & integritate apprehendit: nam

Credula res amor eſt. ——

¶Nonnullæ ergò conficꝫæ & nudæ matrimonij acceptæ ſpei, aliæ ſoli promiſſioni ſinus aperiunt, & putant

Eſſe aliquid ſolitù collum tetigiſſe lacertis,
Præſentesq́ oculos admonuiſſe ſinu.

Vtræque autem non niſi vtero intumeſcente deluſas ſe ſentiunt: deſipit enim iam nebulonibus perſona, vincula etiam & onus prolis auerſantes, ne datæ quidem ſpei aut promiſſionis memores. Nempe, vt Tibullus:

Nulla fides Veneri, periuria ridet amantum
Iupiter, & ventos irrita ferre iubet.

Seriùs itaque, licet ſeriò, & virginitatis & famæ amiſſa decora deplorantur, ſeriùs onera, ſeriùs fortunæ detrimenta. Plurimis incommodis modicæ voluptati parentatur.

Perpetuę parentum correptiones, amicorum odium, riſus familiarium, labores partus, conſolationis deſtitutio, omnium ignauæ manus, labefactata vlterioris matrimonij ſpes, ſolitariæ lachrymæ, ſollicitudo prolis, ſuſtentationis curæ & mille alia, vt veriſſimum ſit illud Naſonis:

Quod iuuat, exiguum eſt; plus eſt quod lædit amantes,
Proponant animo multa ferenda ſuo.
Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla,
Cærula quot baccas Palladis arbor habet,
Littore quot conchæ, tot ſunt in amore dolores:
Quæ patimur multo ſpicula felle madent.

Quale eſt mel cum abſynthio temperatum, talis omninò hæc carnalis voluptas eſt, quantum in ea proficis, tantum in te ipſo deficis. Damnoſum lucrum eſt & damnum ipſum vtile, clarum dedecus & gloria obſcura, perfida fides & fida deceptio, ſollicitus furor & ratio pigra. Nec exemplis aliorum, nec dedecore, nec iacturâ aut detrimento, nec miſerijs inuiolatæ adhuc commouentur: eadem inſequentium inſania quæ præcedentium: ſimilem caſum non metuunt eidem omninò expoſitæ.

Et video iam cecidiſſe quæ ne grauiore quidem vitio cumulare caſum erubeſcunt: compo-

ponunt omnia, vt imponant, adeò laxa ve-
eſt & artificio quodam explicata; vt con-
ptum fœtum luxuriæ ſuæ fructum celent,
c rotunditas vteri aduertatur. Vbi parien-
tempus aduenit, ne dedecus divulgetur,
uiore deturpant: deceptæ vnà puellæ,
ſtetricandi ignaræ, obſtetricū vices agunt,
ita agunt, vt fœdo vulnere parentē ſæpè
natum interimant. Video alias, quas ea-
n hora, quæ parentes, & naticidas faciat:
iid ſi lacunæ quædā loquerentur! atrocio-
Medææ Tyrannide manifeſta fierent? Vi-
occidi homines antequam naſcantur, ibi
dicaminibus deſtruentes, quo manibus
ferro penetrare non poſſunt. *Ita inſanum
& malum*, vt ait Plautus, *in hoſpitium diuerti
upidinem.*

Horreo iſtam crudelitatem & tam nefan-
ad quæ luxuria viam fecit. Nec tamen
e tamque diuerſis malis edoctæ Veneri
ruire dedidicerunt: ſpectata corporum
ies luxuriam incendit, leuis oculorum
us amorem dormientem excitat, titillant
teritæ voluptates, promouent crebri
leſcentum fauores: nota ſiquidem dece-
um infirmitas plures prouocat. Quem-
odum enim muſcæ rariùs integra poma
ſtant, ſaucia ſæpiùs, ſæpiſſimè autem &
i agmine facto vulnere deformata; ſic

 iſti

iſti diruptis ſemel pudicitiæ clauſtris, quaſi ſtratâ ad rodendum vlterius viâ cateruatim grauiores ſunt: & hoc proſtitutas facit & inoperto capite luxuriari: abiectâ ſiquidem matrimonij ſpe, tamque varijs libidinum illecebris & lenocinijs infirmæ munitiones, tam crebrò arietatæ, diruuntur & expugnantur,

Et nihil eſt quod non inſano captus amore
Auſit. ——

Aduolant ilicò riuales, & rapitur eò intemperans adoleſcentia, vbi coitus, vbi corporis poteſtatem, vbi laſciuiæ horas vendi didicit, effætum ſenectuti corpus parans: nec vllæ merces tam liberaliter diſtrahuntur, quàm quas diſtrahi leges & natura vetuerunt.

Ingrediemúrne autem penitiùs fornicariorum Scenam? Erimus audaces ſimul & curioſi, mirabilemque apud ipſos rerum Metamorphoſin inſpiciemus. Video primùm generoſa vina, ſed fœdæ libidini ancillari; ne Venus frigeat, crebris libaminibus prouocatur. Audio laſciuos ſermones, ne ipſi quidem Veneri, credo, ſatis gratos. Audio cantilenas abuſus ingenij tetaſtrices, vel ſine alijs fomentis ſatis efficaces ad concupiſcentiæ motus excitandos. Audio verba quædam obſcurâ Venere condita, quorum enucleatio periculoſior eſt apertè laſciuis. Video mores

ſolis

lis fornicarijs conuenientes. Video ne unc neno quidem nutus. Video riſus impudicâ miratione prouocatos. Video pleroſque udibus & dolis perſonatos. Vbi iam altam cem diceres, mox ſubitæ commotiones, ox rixæ, mox litigia, inde duella & cædes: i altum iam bellum diceres, vnius meretri- læ interuentu ſubitæ oriuntur induciæ, vt riſſima ſint illa Terentij: *In amore hæc om- i inſunt vitia, iniuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, luciæ, bellum, pax rurſum: incerta hæc ſi poſtules ione certa facere, nihilo plus agas, quàm ſi des ram vt cum ratione inſanias.*

Fruuntur tandem hoc quod amauerant udio, ſi furor gaudium vocandus ſit, tam u ſine ratione, quamdiu in voluptate: ita ſorpti vt nullius omninò rei curam ge- nt. Emunguntur interim loculi, etenim, vt autus,

amatore poſcere atq; auferre mos eſt mulierum, am omnes id faciunt, cùm ſe amari intelligunt.

Nec pugiles inſenſati id penſi habent, om- s iam orbis diuitias profuſuri.

Multâ tandem Venere delaſſati domum deunt, æquè post auidam hanc refectio- m famelici:

Quis enim modus adſit amori!

ix vnquam ad mentem redeunt, qui ad morem acceſſerunt: nunquam enim dicit, ſufficit.

ſufficit. Et manifeſta ſunt illa Appulei: *Flamma ſaui amoris paruo quidem vapore delectat, ſed fomento conſüetudinis exaſtuans, immodicis ardoribus aduris homines.* Sic eſt, &

Quò plus ſunt pota, plus ſitiuntur aquæ.

Ita penitus obliti ſui, vt in tantum deficiant in ſuis quantum in amore proficiunt: nulla enim negotia cordi ſunt, opera miſericordiæ rariſſima, precari autem Deum ne lubet quidem, nullâ diuini amoris ſchintillâ diuites: & lubeat, conuerſi ad Deum frigidiſſima erit oratio, breuis etiam & modica, vt plurimum, pœnitentia: quotidianis enim obiectis ad vomitum ilicò trahuntur.

Vt penè extinctum cinerem ſi ſulphure tangas,
Viuet & ex minimo maximus ignis erit;
Sic niſi vitaris quicquid reuocauit amorem,
Flamma redardeſcet, quæ modò nulla fuit:

Nihil enim faciliùs recrudeſcit quàm amor. Iraſcantur amantes, rixentur, patiatur repulſam ſcortator, accedant etiam verbera, omnia iſta ad amoris redintegrationem tandem venient: non diuellent, ſed coniungent.

Et neſcio quid iſtud ſit, irritatur difficultatibus amor, firmatur irâ, creſcit rixis, nec minis deficit: vnde Plautina illa anus tumidum & minacem adoleſcentem ſic alloquitur: *Fixus eſt hîc apud nos animus tuus clauo cupidinis,*

inis, remigio veloque, quantum poteris, feſtina & ige: quum magis te in altum capeſcis, tum aſtus e in portum referet. Secura erat valdè mulier 'enefica, quæ talibus adoleſcentum ſucceſibus plenam vitam experiendo didicerat.

Adhuc in ſimplici fornicatione hæremus, quid ſi ad ſtupra, quid ſi ad raptus, quid ſi ad nceſtus, quid ſi ad Sacrilegia deſcendamus? ıdmirationem iſta in Chriſtiano maximè po)ulo merebantur; ſed ita omnia inuerſa ſunt, t non ſolùm frequentia hanc ſuſtulerit; ſed tiam ſi pleraque ex his alicubi non vigeant, nirum videatur.

Iſtius retardantis adhuc verecundiæ ignaıia vi expugnatur, & celatur ſcelus vt cuique ſtet ſuus honos. Illa alieno iam thoro deſtinata, armorum violentiâ ad ignotum rapitur: miſerabilius, quod Helenæ iſtæ ſuo iam Achille deſtituantur.

Adulteria infamiam ferè etiam exuerunt: plurimos ſiquidem hoc ſæculum lectambulones habet, perdidiſſe noctem rati, quam thoro non ſuo perdunt: iniuſtius, quod prole adulterinâ non parentes etiam grauent.

Et vtinam non grauiores turpitudines ferueſcentia amoris gignat! Multos impium Onan non pudet imitari, nequaquam ipſius vindictâ territi.

Nonnullæ cum libidine audaciam induerunt,

runt, minus dico crudelitatem, neſcio quæ non aconita proprijs maritis miſceant, vt adulteria amaſij ſui ſecundis nuptijs (inualidè tamen) remunerentur.

Ipſum Chriſtum impudicitiâ ſuâ conſpergere non erubeſcunt, dum ipſius propria hæreditas polluitur. Sacratæ Deo virgines intra ipſos templi parietes, numinis veluti ludibrio, violantur. Viuæ olim, defloratæ Veſtales, ab Ethnico Romano populò terrâ obruebantur; & ſunt tamen nunc Chriſti nomine gloriantes, qui ſacrilegos iſtos & ſacrilegas iſtas non tolerent tantùm, ſed inuitent: dummodo ipſi & ipſæ cum pietate ſinceram religionem ponant.

Alij ne à proprio quidem ſanguine abſtinent,

Iuno Iouis ſoror atque vxor: verùm Anna Bolena
Et Spuria Henrici filia & vxor erat.

Quis putaſſet grauiora hiſce potuiſſe excogitari? curioſa luxuria docuit in eodem ſexu laſciuire, & præmium impudicitiæ impudicitia eſt, vt faciat exoletus quod paulò antè pari ſcelere perpeſſus fuerat. Nunquid amplius? Fuit non ante multa luſtra Conſtantinopoli mulier, quam conſpectus in balneo egregius cuiuſdam puellæ cutis candor dementauerat; virilibus igitur veſtimentis ſumptis maſculum mentitur, procatur etiam

& vin-

ꝛ vincit. Confectis ilicò coniugij tabulis, ymenæo litatur. Sed quæ meridianæ luci lluſerat, ei nox illuſit, & prodidit. Ad Sulanum ergò multo cum riſu delata, plectere ulpam viſum eſt: Helleſpontus itaque & ritam & præpoſterum ardorem refrigerauit. Quis ludibria iſta non derideat, qui habeat aliquid ſanitatis? cùm videat homines velut mente captos ea ſeriò facere, quæ ſi quis faciat in luſu, nimis laſciuus & ineptus eſſe videatur.

Luxuria verò cùm omni ætati ſit turpis, tum maximè ſenibus fœdiſſima eſt: vtpote

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Arguit ergò hoc fœditatē ſæculi huius, quod æquè feruenter, ſed turpiùs paululum ſenes inſaniant. Et eſt jam excuſatio ſua, imbecillitas ætatis ſolatio egentis. Sic in Aſinaria petulantiſſimum ſenem ſuum etiam Plautus excuſat his verbis: *Hic ſenex, ſi quid clam vxore, ſuo animo fecit voluptatis: neque nouum, neque mirum fecit, nec ſecus quàm alij ſolent: nec quiſquam eſt tam ingenio duro, nec tam firmo pectore, quin vbi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat benè.* Hæc ille dixit, hæc omnes dicimus: ſiue adoleſcentes quibus luxuria gloria eſt, ſiue viri quibus conſuetudo eſt, ſiue ſenes quibus ſolatium eſt. Quot nunc inueniemus ſenes qui ſi qua facultas affuerit, teſte ſubmoto,

moto, non ſtatim obliti ſui, iuueniliter ruant in Venerem? ipſi ſibi blandientes quaſi quicquid delectat aut mulcet, & deceat: & quaſi ſenectutis vnicum ſit ſolamen luxuria, quæ potiùs ſenectutis opprobrium eſt & ruina. Non conſiderant quò progrediantur, quàmque aduerſo tẽpore, quam indecora, quamque ambigua & intempeſtiua Venus eorum ſit. Nec pudor nec metus faciunt, quod ratio iam pridem & ſatietas debuiſſent. Breui tamen vel inuiti deſituri, ſiquidem iuuenilis luxuria ſenectuti proxima, ſenilis autem ſepulchro contigua eſt.

Si autem luxuriæ publicæ argumentum eſt oratio laſciua, vt vult Annæus (*Vbicunque enim videris*, inquit, *orationem corruptam placere, ibi mores quoque à recto deſciuiſſe non erit dubium. Quomodo conuiuiorum luxuria, quomodo veſtium ægræ ciuitatis indicia ſunt: ſic orationis licentia (ſi modò frequens eſt) oſtendit animos quoque, à quibus verba exeunt, procidiſſe.*) Et Baias multas & Canopos multos in vno Belgio poſſidemus: quicquid enim penè articulatas voces format, laſciuas format. Reliquæ multitudinis ea impudentia eſt, vt nihil aliud niſi de Venere ſermocinari didiciſſe videatur.

Nec iſta tantùm à turba ſordidiore, ſed etiam à cultiore fiunt, non honos impedit,

non

ı ſcandalum. Pudorem iſta merebantur, ɔudet iam in Canopeæ luxuriæ partem ı venire; nec videri velle impudicum: vt eamur autem, maiorem verbis reipsâ im- dicitiam præferre non erubeſcimus: pudet m non exuiſſe pudorem.

Nec virorum illa tantùm & adoleſcen- n ſunt, ſed etiam adoleſcentularum, de ibus optimè Politico-chriſtianus: *Studium paucarum eſt*, inquit, *nullo vnquam rubore undi, ad quemcumque proſpectum ſtare inter- us, ad quæcumque verba colorem tenere: nullum nde amatorem fugere, nullam in quocunque viro itudinem vereri. Neque diſcrimen inter matro- n multarum prolium matrem, & virginem erias: par verborum licentia: nec quæ virorum it, minus virgo nouit, quàm quæ decem prolibus tritum beauit. Pudor nimirum ſit, ante matri- nium ignorare, quæ matrimonia & filij docue- nt. Morborum verò verecundiſſima, matrona- m illa an virorum ſint (quæ medicorum auribus edere ſeuerior caſtitas verecundabatur) puellarum nfabulationibus teruntur, vt arbitreris de roſis violis agi; vt verecundior olim multorum filio- m mater in ſuo ſexu foret, quàm virgo nunc in ieno.* Sic eſt vt quotidie magis experimur: axime autem in curribus & in nauibus. Quænam enim ibi non ventilantur? Laxan- ır omnia impudicitiæ fræna, maximè im- potentis

potentis liguæ, cuius certatur vtrimque licentiâ : & plerumque qui minus blaterat, non ſecus ac truncus aliquis contemnitur, tamquam qui nullibi niſi in culina matris vitam traduxerit. Diſcretum ſilentium impugnatur continuò & exagitatur, amplioriq́ue inſolentium verborum imbre obruitur. Nemo non vult magis in Cupidinis claſſe videri profeciſſe.

Quænam autem non pernoctationis turbulentia? *Fœminæ etiam cyrro criſpatæ*, vt Mæcænas, *labris colubrantur*: & licet Belgarum oſcula minus impudica ſint, ſunt tamen oſcula, nec leue ad impudicitiam fomentum.

Ad Cantilenas deinde deflectitur, quarum integra volumina habemus: alia delitias Roterodamenſes, alia Harlemenſes, alia Amſtelrodamenſes &c. intitulauimus. Earum autem quarundam ea notitia eſt, vt ſolùm hiſce laſciuis cantilenis addiſcendis incubuiſſe videantur. Reſonant hiſce currus & nauigia; vt non vanè hinc coniecteris, velis, remigio & equis, Belgium Cupidinis caſtra ſequi.

CAP.

CAPVT XIX.

Scena Guloſorum.

SI ad naturam viuere libeat, paucis contenta eſt: nihil enim præter cibum deſiderat & neceſſariam refectionem, non multa quærit, non lauta, non va- a, non rara, non peregrina, non pretioſa: d obuia, ſed paratu facilia, ſed modica. *uantulum enim eſt quod in tutelam homini neceſ- rium, & cui deeſſe hoc poteſt vllam modo virtu- m habenti:* ait Seneca, *Frigus ſubmouere vult, limentis famem ac ſitim extinguere, quicquid ex- a concupiſcitur, vitijs, non vſibus laboratur.* Quid ergò opus eſt tot artibus ventri ſer- ientibus? quid mercaturis, quid vaſta- one ſiluarum? quid profundi perſcruta- one? paſſim alimenta iacent, quæ rerum atura omnibus locis diſpoſuit. *Nónne omnes iæ oleribus ſunt referta?* inquit Pythagoras, *ónne pleni aquâ fontes? habeamus aquam, habea- us polentam*, dicam cum Epicuro, *& Ioui ipſi e felicitate controuerſiam faciamus.* Anne her- as & legumina exiſtimamus pecoribus tan- ùm, non etiam hominibus naſci? ánne quam naturalem iumentorum non etiam ominum dicemus eſſe potum? cùm ſciamus tiam cacumina arborum explementa eſſe

ventris, & Reges olim & Patriarchas non de fontibus tantùm, ſed & puteis controuerſias habuiſſe? ambitioſa non eſt fames, contenta deſinere eſt, quo deſinat non nimis curat. Vnde ergò, inquies, faſtidium? ſi ad ſanam mentem placeat reuerti, perſpicuum erit, non ex diſcreta refectione, ſed inordinatâ voracitate naſci: rariùs eſurientes comedimus, hinc appetitu ſolita & facilia non prouocante, errat neceſſariò per diuerſa animus. Cùm venter taceat, palatum adhuc loquitur, quid huic adferat, curioſè ſcrutatur, veram tamen delectationem non allaturus, niſi adferat dum & venter petit: magis enim iuuat bibere ſitientem, gratior eſt eſurienti cibus, quicquid ex abſtinentia contingit, auidiùs excipitur.

Dario Vltimo Perſarum Monarchæ non ita luxurianti quotidie generoſa vina, quàm victo apud Arbellas ab Alexandro Magno & ſitienti cæſorum cruore vitiata quidem aqua placebat, quia nunquam ſitiens biberat.

Num tibi cùm fauces vrit ſitis, aurea quæris
Pocula? num eſuriens faſtidis omnia præter
Pauonem Rhombumq́;? ———

Infelicis Luxuriæ iſta commenta ſunt, illa tranſire obuia, tranſire neceſſaria, & circa ſuperuacua laborare docuit.

Bone Deus! ſi omnem huius ſæculi attingere

gere gulæ ægritudinem velim, quorſum non urrendum eſt? ad quas non regiones? ad quas non gentes? tam longinquas, tam diſſias: ad quas non terrâ mariq; venationes? ad quæ non aucupia? ad quæ non condimenta? d quas non lautitias? Nulli feræ, nulli auiulæ, nullis piſcibus, nulli fructui, nullis aroatibus, nullis condimentis, nullis arborius, nullis animalibus, niſi ex faſtidio, pax ſt. Quantum ad ſolertiam luxuriæ pereuns accedit, tantò ſubtiliùs quotidie & eleantiùs aliquid excogitat furor, vſitata conemnens.

Præſto ſunt nobis ſegetes, legumina etm, & fructus arborum; ad manum boues, ues, capræ, hædi, porcelli, vituli; ſed quia ſitata, non placent: nec ad faucium duledinem, ſed ad pretium degenerauiius. Semper enim in tranſuerſum agimur: rouocant ea quæ auertere debebant: rarite enim & difficultate irritamur, & vomus habere, quod habere non facile eſt. oc ad vexationem terrarum, etiam maum nos adegit: hoc ad retium varia gene, ad viſcum, ad laqueos, ad animalia in utuam perniciem armata, ad canes alios oore in proditionem, alios autem pernicitaad lanienam inſtructos: ad volucres deque brachio aſſuetas: & vt nihil vexatio-

ne noſtrâ immune relinquamus, crudelitatis hiſce adminiſtris ad rapinam attentiſſimis, liberum aliàs aërem, infeſtum facimus. Quicquid auium volitat, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus.

Videas integra iam oppida, integros pagos noſtræ luxuriæ deſeruire: alij nil niſi retia & laqueos, alij nil niſi hamū & viſcum præparant: ſcrutantur alij terras, alij maria: reptilibus hi incumbunt, conchilia & oſtrea eruentes, iſti centenis nauibus ad diuerſiſſima genera piſcium, in Britannias, Daniam, Nornagiam & Suetiam abeunt: iſti vt condimenta cibis miſceamus, claſſibus Oceanum ſecantes, ad Indos, ad Moluccas, ad nationes, vix ſolo etiam nomine cognitas, confugiunt, vt inſatiabili gulæ ex ignoto littore & millibus leucarum aduehatur: parati etiam, ſi poſſibile foret, tam vaſti orbis fines traſcendere, vt faucibus noſtris & loculis ſuis grata conquirerent. Verbo,

—— In luxum iam ventri longiùs itur,
Quàm modò militiâ, vix notis paſcimur oris.

Ego neſcio quid iſtud in nobis vitij ſit: delicatiora domi, etiam per ſe pretioſiora, habentes, viliora & minus grata, magno labore & ſpatio petita, cariùs mutuamus. Itali, Galli, Hiſpani, Britanni, cum reliquo orbe,

quod

juod ambitioſam eorum popinam inſtruat,
ı nobis quærunt: nos Italiam, Galliam, Hi-
paniam, Britanniam, & reliquum orbem
poliamus, vt luxurioſi ſimus. Mira res: Ita-
i Belgicos pethaſones & caſeos amant, nos
talicos: illi Rhenenſe vinum è Germania,
Germani Falernum ex Italia petunt: Hiſpa-
a gens noſtras appetit carnes, nos Hiſpani-
as. Totus Oriens, totus Occidens, barbaræ
tiam nationes noſtris fructibus delectantur,
os earum. Qui vinum habent, ceruiſiam
olunt; qui ceruiſiam, vinum: vites ad hoc à
Gallis, ab Italis mutuauimus, illi ceruiſiam co-
uere nituntur. Audio qui cythus noſtri fæ-
es, qui polentam noſtram, qui aquas noſtras
ı Italiam traiecerint, vt Belgicas delitias illi
enti coquerent, ſed effectu cum dolore fru-
ratos. Sitiunt Itali in Belgio ſuum vinum,
ıam in Italia ceruiſiam Belgæ. Vbi nil niſi
eruiſiam habent, vinum clamant, vbi nil niſi
inum, in ceruiſiam appetitus fertur: ipſi
oc mihi noſtrates faſſi ſunt, in vrbe Romana
eruiſiam noſtram duplo cariùs vino diſtra-
am huic tunc temporis ſe prætuliſſe.

Quid Arauſicana, quid citria, quid limo-
es, quid reliqui peregrini fructus in Bel-
io? apud ſuos contempti, apud nos pre-
um ſapiunt, æquè auidè, quos nos con-
emnimus expetentes. Videtur optimè mihi

Satyricus luſiſſe:

—— *Guſtus elementa per omnia quærunt,*
Nunquam animo pretijs obſtantibus: interius ſi
Attendas, magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.

Et conuenienter huic Seneca: *O miſerabiles, quorum palatum niſi ad pretioſos cibos non excitatur! pretioſos autem non eximius ſapor aut aliqua faucium dulcedo, ſed raritas & difficultas parandi facit.*

Alia animalia, dum macilenta ſunt, ætate tenera mactamus, diu alia paſcimus & pingueſcere cogimus, vt ſaginam vix contineant ſuam: alia bolis quibuſdam præproperè ſaginamus, temporis moras artificio compenſantes: quædam integra contemnimus, certa membra ex ſingulis eligentes, illius caput, iſtius caudam præferimus: huius armillos, alterius clunes, aliquorum coſtas, nonnullorum ventrem, quorundam inteſtina, aliorum cutem. Ridiculum vbi in macellis diuerſos licitantes videris, ſingulorumque ad diuerſiſſima appetitum ipsâ emptione aperientium conſpexeris.

Vagabundos etiam quoſdam aduertes luſtrantes omnia, appetitum neſcientes ipſos ſuum, quærentes autem quo prouocetur. Non infrequenter alios diuerſiſſimarum carnium & partium diuerſa pondera coëmentes: maiorem ſe famem quam ventrem

rem habere, ne cogitantes quidem, vt ple-
ique facimus: *Quantulum enim* (dicam cum
.nnæo) *ex iſtis epulis tam curioſè quæſitis, feſſo
oluptatibus ore libant? quantulum ex iſta fera
ım periculoſè captâ, dominus crudus ac nauſeans
ıſtat? quantulum ex tot conchilijs tam longè
ıuectis per iſtum inexplebilem ſtomachum labitur?
:mo noſtrûm vnum eſſe ſe cogitat.* Aſpice culi-
as Magnatum noſtrorum, & concurſantes
ıter tot ignes coquos: vnum videri putas
entrem, cui tanto tumultu comparatur ci-
us? aſpice veterana eorum & plena multo-
ım annorum vindemijs horrea: vnum pu-
s videri ventrem, cui tot regionum vina
ɔnduntur: aſpice quot locis vertatur terra,
ıàm multi colonorum arent, quàm multi
ıdiant: vnum putas videri ventrem, cui in
m diuerſis Prouincijs ſeritur? Sani erimus
modica concupiſcemus, ſi vnuſquiſque
numeret: metiatur ſimul corpus, ſciatque
:c multum capere, nec diu poſſe.

Sed antequam ad menſam accedamus,
ɔn poſſum quin priùs mollitiem aliquo-
m accuſem. Video qui infinita frixurarum
condimentorum genera excogitent, mo-
ɔ calida volunt, mox frigida, ſubinde dura,
binde mollia, aſſa iam affectant, paulò pòſt
xa, nunc in amara feruntur, nunc in dul-
ı, ſorbitiunculas nonnunquam affectant,

& transfertur ilicò in ſolidum cibum animus, abſque condimentis nuda & integra non infrequenter deſiderant, deinde pipere, cynnamomo, & varijs aromatum ſaporibus infecta: ſubitis & vehementibus deſiderijs agitatos, prægnantes mulieres diceres, niſi viros ſcires.

Prandia tandem videamus, imò potiùs conuiuia: ad conuiuiorum enim frequentiam infirmitas noſtra nos deduxit: ſine iſtis enim amicitia ſuam vim non habet: infelices, qui nodum alium amicitiæ non habemus, niſi quem luxuria ſubminiſtrat. Pleroſque iam amicos feceris, ſi ferculis oneraueris: ſed, mihi crede, vmbraticcs: qui nunc vbi dapes aduertunt, dexteras iungunt, qui corda in alienum verbis transferunt arbitrium, qui halitum ſuum, qui ſpiritum, qui poſtremæ guttæ ſanguinis profuſionem promittunt, vbi eſurire menſam tuam feceris, eorum mox vultus eſuries. Mel muſcæ ſequuntur; cadauera lupi; frumenta formicæ; ſic turba iſta prædam ſequitur, non hominem.

Adulatores quoque ſeſſum veniunt, vanâ titillatione laudes promentes, vt luxuriæ tuæ participes cibos hauriant. Nec rerum toto orbe geſtarum curioſi indagatores excluduntur, qui cùm aures mulceant, vtiliùs mulcentur. Vbi hæc helluonum turba præ-

uijs qui-

iijs quibuſdam ciuilitatibus conſederit, certò
ordine inferuntur cibi. De quibuſcumque
ferculis æquali numero patinæ diſcreto or-
dine locantur, ne quid ſit quod offendat aut
caſtigationem mereatur: non ſunt enim ad
inopinam dentibus & ventre & ore contenti,
oculis quoque guloſi ſunt. Et ne quid com-
moditatis deſit, ne operibus naturæ auocen-
tur, cum Iulio Cæſare vomitoria & matulas
ſub menſa ponunt. Omni ergò ſollicitudine
poſitâ in dapes ruunt, & in ventrem ſuum
ſic pretioſa congerunt, quaſi recepta ſeruan-
tem, quem tamen cùm illa ſollicitè ſcrutata
variéque condita ſubierint, vna atque eadem
fœditas occupabit. Delectat illum nidor ci-
borum arte quæſitus, & iuſculum ipſi carni
præfert, alium ipſa caro, quam ille faſtidie-
bat, faſtidiens è conuerſo iuſculum, quod
alter cupiebat. Hiſce præſentes adhuc cibi
non placent, depopulantes, hinc inde tamen
aliquid ne deſpicere videantur, aut morbum
ſuum reuelent: expectant enim adhuc quas
norunt affuturas dapes. Iſti toti in præſentes
epulas ferocientes, præproperè nimis deglu-
tiunt: minus enim fallacibus oculis ciborum
in culina videbatur, anguſtiam ſtomachi ſui
nō conſiderantes. Nonnulli iam ſaturi adhuc
ſuriunt, & ingemiſcunt non adhuc vnum
ſe habere ſtomachum, in quem tam ſapidas

eſcas dimittant: atque hi ſunt, vt dicitur,

—— *Quibus in ſolo viuendi cauſa palato eſt.*

Quærunt alij quemadmodum poſt ſaturitatem quoque eſuriant, quemadmodum non impleant ventrem, ſed farciant. Quidam euacuationis gratia implent corpus, & vice verſâ explendi gratiâ euacuant, ingluuie non minus quam inanitate torquentur, imò verò tamquam deliriarum vinculo grauantur ingluuie: inanitatem ſemper, vt locum voluptatibus machinantes: de quibus optimè, vt ſolet Annæus: Edunt, inquit, *plus quàm capiunt, & ingenti auiditate onerant diſtentum ventrem, ac deſuetum iam ventris officio, vt maiore curâ egerant quàm ingeſſerunt. Vomunt vt edant, edunt vt vomant, & epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.*

Adijce obſonatores, quibus Dominici palati notitia ſubtilis eſt: qui ſciunt cuius rei illum ſapor excitet, cuius delectet aſpectus, cuius nouitate nauſeabundus erigi poſſit, quid iam ipsâ ſatietate faſtidiat, quid illâ die eſuriat. Alius interim reliquias temulentorum ſubditus colligit: alius, cui conuiuarum cenſura permiſſa eſt, perſtat infelix & expectat, quos adulatio & intemperantia aut gulæ aut linguæ reuocet in craſtinum; alij primæ menſæ cibos è nauſeantium iam oculis tollunt, alij ſecundæ bellaria inferunt: tanto ſum-

:o ſumptu ſæpè & pretio vt millia nummorum excedant. Nec ipſa nuda gratiam modò habent, in varias, diuerſas, imò infinitas formas eruditâ manu compoſita & cocta, appetitui ſimul & admirationi præparantur. Si artificium videas, ſubſtantiam non æſtimes: euiluerũt enim iam illa, ruſticis vocabulis minuſque ad luxuriam modernam appoſitis deriſa, è ſaccharo confecta puerorum manibus relicta, quorum alia piſa ſaccharacea, alia murium excremẽtorum ſaccharaceos bolos, alia ſaccharaceos panes nominauimus. Nullius nũc æſtimationis ſaccharo clauſum cynnamomum, clauſa amigdala, clauſæ nuces: paruæ autem pira, poma, pruna, & ſimilia è ſaccharo educta. Integræ iam arbores cum fructibus, quarum radices ſuam etiam dulcedinem & ſuum pretium habent, integræ, vites cum vuis, integri montes cum fontibus, integræ ſiluæ cum feris & beſtijs, integræ venationes, integræ pugnæ, integræ hiſtoriæ ex prædicta materia elaboratæ, ante tam voracis turbæ prodigalia ora, eadem mox ſubitura adferuntur. Ille Aprum conficit, ille Leonem, alius Vrſam, alius Elephantem; Rhinocerotem hic deglubit, ille Pantheram. Ferociſſima animalia in ludibrium illis veniunt, quibus ad vnius canis latratum expaueſcere ſolitum: antequam victoriam

de veris habeant, de imaginibus triumphant, prodigales ſimul & guloſi, dubites vtrùm magis. Concluditur deinde crebris hauſtibus, & temulentia ebrietate cumulatur, de qua nunc dicendum eſt.

CAPVT XX.

Scena Potatorum.

EGo ſic exiſtimo naturam omnibus, aquam ad potum, vinum ad medicinam ſubminiſtraſſe: ſecundùm illud Salomonis, Prouerb. 31: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, ſed his qui amaro ſunt animo.* Et illud Apoſtoli ad Timotheum ſuum 1. Epiſt. cap. 5: *Modico autem vino vtere propter ſtomachum tuum & frequentes tuas infirmitates*: ſed in tantum degenerauimus, vt vinum ordinarius potus ſit, aqua verò nonnunquam ad medicinam vti cogamur: maximè autem mero deprauati, quorum in immenſum creſcens vterus frigida ad ordinariam menſuram reducitur. Sed fruſtra de hoc abuſu multa, cùm deſuetudo impoſſibilis videatur.

Ad modum & tempus bibendi venio, quorum limites ſitis fixit, ſed hos quia tranſilimus, naturam peruertimus: quod Germanis & Belgis vſque adeò familiare, vt ne pecca-

peccatum quidem exiſtimetur.

Et fecit inueterata conſuetudo, vt vix vlla alicuius momenti negotia, vix vlla fœdera, vix vlli contractus, niſi apud poculum & ſcyphum fiant: quantum poſt contractum gulæ dandum, etiam in contractum venit: quaſi ratificationem à potu ſortiretur, illo coronidem imponunt.

Alij quod ne inimico quidem optandum, amico faciunt: vt enim amici videantur, ad rationis & ſenſuum omnium ſubmerſionem cogunt: alij tædioſo otio prouocati, alij artificio luſus confiſi, ad ingurgitationem deſcendunt: inebriare ſiquidem illis tempus terere eſt. Quidam ſocietate illecti, nonnulli ancillæ aut filiarum hoſpitis venuſtate tracti, in tabernam veniunt, earundem nec fœditatem nec pericula conſiderantes. Videas ſingulis diebus tabernas illas, aliàs rixis, contentionibus, pugnis & homicidijs infames, aliàs iniuſtitiâ, prodigalitate, plurimorumque verecundiæ, pudoris, caſtitatiſque iacturâ deformes. Quæ tamen omnia cùm quotidie præter oculos eant, hoc non efficiunt, vt crebro potu caliginoſos & modicâ voluptate faſcinatos animos à tramite tam obſcuro & deuio dimoueant: ſed nullâ fœditate, nullis ludibrijs, nullo damno, nullo periculo territi incautiùs labimur, & ſuum

inſtar

inſtar in ijſdem ſordibus volutamur.

Sed ordinem rei videamus, neque enim ſubitò, ſed gradibus quibuſdam, ad ebrietatem & annexas huic ſordes aſcendimus, quas in ſingulis ſingulas, attamen diuerſas reperiemus: quantum enim ſingulis hauſtibus rationis minuitur, tantum ſordium ac fœditatis accreſſit. Babylonicas matronas ad amuſſim imitantes: quarum conſuetudinis erat, ſecundùm Curtium, modeſtiam priùs apud vinum tenere, paulatim libaminibus excitatas ſuperiora quæque veſtimenta abijcere, ad extremum, potu verecundiam tollente, omnia ſecreta corporis reuelare; ſic nos ad immodeſtam licet modeſtiam priùs compoſiti, exorbitatio tamen paulatim cum potu ſerpit, deinde verecundiam omnem abijcientes vitijs omnibus locum damus: *Et quid mirum?* inquit Erycius Puteanus, *cùm & à nimbo præcipites & luculenti riui ſordes vnà vehant?*

Prima pocula, vt & plurimùm primi congreſſus, curioſâ plerumque rerum nouarum quæſtione teruntur: quid Romanorum Imperator, quid Galliarum, Hiſpaniarum, Britanniæ, Poloniæ Reges: quid reliqui Chriſtiani Principes moliantur, curioſè diſcutitur. Quot in illo prælio occiſi, quid poſt conflictum factu opus ſit, quorúmnam Prin-

cipum

ipum fortunas ſecum conuoluerit: quænam
rbes in arbitrium, quænam in fœdera deſ-
cenſuræ: quænam oppugnandæ, quamdiu
ppugnandæ: quænam & quantum multan-
læ. Quidnam de illis fœderibus videatur,
intne licita, ſintne neceſſaria. Iuſtáne illius
ædes ſit an crudelis. Quàm potens ille Prin-
ceps, quàm iſte impotens: quàm ſumptuoſè
iuat ille, quàm alter benè. Quiſque autem
ffectum ſuum promit, aut aliorum (propriâ
quâdam vtilitate tranſlatus) ſequitur: ſed
quàm extemporanea iudicia, tam temeraria:
quàm curioſa, tam friuola; quàm affectuoſa
æpè, tam vitioſa, quanto denique odio
rofecta, tam iniurioſa.

Proficit deinde incuriâ ſuâ & delectatio-
ne, fraudulentis calicibus, iudicij morumque
peruerſitas: quantumque liquoris infunditur
ztero, tantùm veneni & cum fœnore qui-
dem ſoluto ore refunditur: quantò ampliùs
ſtomachus obturatur, tantò liberaliùs, ruptis
ſilentij vinculis, linguæ & oris fræna laxan-
tur: quantum accedit audaciæ, tantum de-
cedit pudoris. Nemo non loquitur, nemo
non clamat, nemo non diſputat: diceres ve-
teres Orgiophantas eſſe, non Chriſtianos. Ille
laudes, ille facinora crepat: alius ingenij dotes
& gratias gratis datas, alius diuitias opumque
affluentiam, quidam generis claritatem, non-
nulli

nulli rerum omnium cognitionem, alij (& maximè Senes) iuuentutis ſuæ prælia, tempora, mores, alij immenſa itinera, diuerſiſſimarumque gentium idiomatum notitiam (apud imperitos maximè) intolerandâ prę-ſumptione eructant: vix enim vnquam aliquid ſinceri, ſed pleraque fuco aut mendacio deformia, madido ore deſpumant. Quiſquis audiri vult, nemo audire, & iraſcuntur inuicem quod omnes audientiam ſibi vendicent, nec omnes ſibi concedant. Quiſque alterius rationem & loquelam tacitè ridet, propria verò non ſecus ac oraculo quodam profecta, ſingulis venire allaborat. Quiſque ſibi ſapiens, ſibi prudens, ſibi ingenioſus, ſibi diues & potens, nullius egere auxilio, nullius gratiâ videtur: omni ſollicitudine poſitâ in ſubitam ſpem promotionis ſuæ aut rerum ſuarum nonnunquam erecti, ſubitâque lætitiâ delibuti, maiora viribus ſuis promittentes, in craſtinum & ſui ſibi & aliorum riſum parant.

Influunt interim inconſulti crateres, fluctibuſque ventris, humanæ mentis tyrannis, in deteriora magis magiſque proficimus: & quæ hucuſque aut lætitiæ, tilillationis, aut garrulitatis fuêre, in maximam proprij & aliorum corporis & animæ perniciem migrant. Lætitiæ in ineptias & petulantias: titillationes

llationes in detractiones: garrulitas in iur-
a & pugnas abeunt.

In quaſcumque autem deformitates cuiuſ.
ıe natura declinat, eo potu incaleſcens
m rapitur. Alius oſcula libat, quæ vere-
ındia ante inhibuerat: alij corpore impu-
icitiâ polluuntur, alij animo, alij ore: quiſ-
ue autem aliquid profectui ſcelerum ſuo-
ım adijcit. Omnes aculeatis quibuſdam
:rborum ſpiculis laceſſunt. Quot linguæ,
ɔt plagæ; quot voces, tot vibices, vix etiam
;inico animo concoquendæ: non enim
ɔulta iam ſolùm loquuntur, ſed mala. Præ-
des, Superiores, Præfecti, denique boni
mnes, cum modeſtia & ſapientia vitijs in-
:ſta vapulant: peccant, qui non peccant,
ɔoderati ſermonis offendunt, calumniæ ſti-
mate cenſetur, ſi quis opportuno fræno lin-
uam coërceat.

Aliena vitia aut comminiſcuntur, aut dete-
untur, ne anhelanti linguæ pabulum deſit,
:d nouo vitio & ſimul conuitio. Optimè, vt
olet, de hiſce Liberi patris ſequacibus Ery-
ius Puteanus: *Irriguum*, inquit, *calumniæ
eminarium dixeris, in quo ſontes ac rei tra-
untur mores, boni cuiuſque ac mali. Hic foro
eſſit, ille patrimonium prodegit, iſte pudorem
roſtituit: huius inglorij parentes, huic familiæ
ıcuus: quanti viuat quiſque, quanti ſapiat,
inſipientes*

inſipientes ipſi curioſis calculis emetiuntur.

Nihil non efferato ferè animo audent, adeoque timidos etiam in temeritatem pellit. Alius iniuſta aſſumit certamina, nulliſque exiſtentibus cauſis aſperam excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum ſana dicta non patitur audire, ſed in contumeliam erigitur aliorum & proximorum crimina: alius in craſtinum ad duellum prouocat, &, vix edormitâ crapulâ, pœnitentiâ ducitur: alius inueteratum odium aperit, alius iram, & inimicum, cuius ipſe potentiam & robur ſobrius verebatur, benè iam potus, ſed minus potens, vltrò impugnare decernit: incautiùs, quò audaciùs, periculoſiùs, quò magis temerè: cùm ſenſus omnes officium non agant, cùm abſens magis ſit quàm præſens, cùm omnia corporis membra certiſſimo ictui vulnerique pateant.

Adde quod & facilis victoria, de madidis &
Blæſis, atque mero titubantibus. ——

Alterius aliud meditatum diu, ſed tectum, ſcelus nouo ſcelere erumpit: vt enim anima ſicca eſt ſapientiſſima, ita tot calicibus fluctuans inſipientiſſima eſt. Veriſſima ſunt illa Annæi, *Dic*, inquit, *nihil aliud eſſe ebrietatem quàm voluntariam inſaniam; extende in plures dies illum ebrij habitum, nunquid de furore dubitabis? nunc quoque non eſt minor, ſed breuior.*

Refer

ſer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum ʒariſſimum ſibi & fideliſſimum inter epulas tranſ-ɔdit: & intellecto facinore mori voluit, certè de-uit. Omne vitium ebrietas & incendit & detegit, ʼſtantem malis conatibus verecundiam remouet, ures enim pudore peccandi quàm bonâ voluntate licitis abſtinēt. Et pergit. *Vbi poſſedit animum ni-ıia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non ıcit ebrietas vitia ſed protrahit, tunc libidinoſus e cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ıis, quantum petierint, ſine dilatione permittit: ınc impudicus morbum profitetur ac publicat: ınc petulans non linguam, non manum continet, ·eſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, mali-ıitas liuido: omne vitium detegitur & prodit.*

Adde illam ignorantiam ſui: adde rimu-ıs quoque mentis oppreſſæ ac futilis, & raui pondere fatiſcentis vnde ſecreta ef-uunt, ſæpè cum propria, ſæpè cum aliena ernicie: quæ multis mortis & extremæ mi-:riæ cauſa fuit. Hinc Horatius:

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit, ecundùm illud Prouerb. 31. *Noli Regibus, ô ımuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum cretum eſt, vbi regnat ebrietas.* Itaque decla-ıationes iſtas, mi Seneca, de medio non :moueamus. *Non eſt animus in ſua poteſtate ɔrietate deuinctus. Quemadmodum muſto dolia ſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in*

 ſummam

ſummam partem vis caloris eiectat; ſic vino exæ-ſtuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne ſecretum quidem, quod ſuum alienumq́ eſt, pariter effundunt: Veræ enim ſunt, & quas conſiderantes Hiſpani tui cautiſſimè, vel ſemel in ebrietate deprehenſos, publicis negotijs tanquam ineptos, arcent: quomodo enim Reipublicæ conſulant, qui ſibi non conſulunt, quomodo Reipublicæ ſecreta premant, qui ſua vomunt? Parum autem ipſi obſcuratæ mentis defectu perdidiſſe ſe ipſos penſi habent: nec damnum ſentiunt quod non intelligunt; vt ſeriùs ſed veram pœnitentiam agant. Canunt enim illi, adhuc

Liliolæ violæ placidiſsima pectora: bellæ
Vos ſoboles Comi, bella tenella vocant.
Bella recrudeſcant genialia; bella tenella.
Perbellæ Cereris, Pampiniiq́ Patris.
Extorquete mero belliſsima fœdera pacis,
Mittite neruosâ tela Phalerna manu.
Comus adeſt, & ad arma vocat: ſæuiſsimus huius
Hector qui fuerit prælij, amicus erit.

Audent adhuc ad æquales hauſtus cogere: audent adhuc, dum propriam mergunt, in aliorum ſanitatem bibere. Nec terrent quæ inferuntur diotæ, neſcio quales, quibus infernè diaphano corpore incluſæ aleæ, vt ad

numerum

umerum eum quem Fortuna obtulerit,eaſ-
em euacuent; audent adhuc ad neſcio quos
itrorum & poculorum nodulos prouocare,
c plura alia infelicis luxuriæ commenta.

Ingerunt interim ſibi plus quàm capiunt,
ec ſtomachi ſui nôrunt menſuram: & ad
am tandem fœditatem, ad tam vitioſam
amque triſtem ægritudinem, imò furorem
eſcendunt, vt ſcienter iam penitus obruant
tque enecent ſpumanti dolio rationem. Nec
nortui ſunt, nec viuunt, beſtiæ veriùs quàm
omines. Quod enim ſingulare habet homi-
is natura, neque pedes neque linguam ne-
que animum in poteſtate habent. Tremulum
ertiginoſumque caput, tecta ipſa mobilia
elut aliquo turbine circumagente totam
lomum, inſtabiles manus, incerti & ſtillan-
es oculi, grauis odor corporis, eructant &
rahunt potiùs dubia quædam & parum ex-
planata verba quàm loquantur. Errant hinc
nde gradus, fœdi & periculoſi interdum
apſus, taceo libidinis regnum, virtutis exi-
ium, vulgi fabulam ac riſum, bonorum o-
lium atque contemptum, mutationem re-
pentinam: ſileo & quamlibet doctorum in-
ſtantiam ac cuiuſlibet ætatis infantiam, om-
nium iocis ac fraudibus omniumque ludi-
brio expoſitam: vt mirum mihi non videa-
tur monſtrum tale, rationale animal ſine ra-

de veris habeant, de imaginibus triumphant, prodigales ſimul & guloſi, dubites vtrùm magis. Concluditur deinde crebris hauſtibus, & temulentia ebrietate cumulatur, de qua nunc dicendum eſt.

CAPVT XX.

Scena Potatorum.

EGo ſic exiſtimo naturam omnibus, aquam ad potum, vinum ad medicinam ſubminiſtraſſe: ſecundùm illud Salomonis, Prouerb. 31: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, ſed his qui amaro ſunt animo.* Et illud Apoſtoli ad Timotheum ſuum 1. Epiſt. cap. 5: *Modico autem vino vtere propter ſtomachum tuum & frequentes tuas infirmitates*: ſed in tantum degenerauimus, vt vinum ordinarius potus ſit, aqua verò nonnunquam ad medicinam vti cogamur: maximè autem mero deprauati, quorum in immenſum creſcens vterus frigida ad ordinariam menſuram reducitur. Sed fruſtra de hoc abuſu multa, cùm deſuetudo impoſſibilis videatur.

Ad modum & tempus bibendi venio, quorum limites ſitis fixit, ſed hos quia tranſilimus, naturam peruertimus: quod Germanis & Belgis vſque adeò familiare, vt ne pecca-

peccatum quidem exiſtimetur.

Et fecit inueterata conſuetudo, vt vix vlla alicuius momenti negotia, vix vlla fœdera, vix vlli contractus, niſi apud poculum & ſcyphum fiant: quantum poſt contractum gulæ dandum, etiam in contractum venit: quaſi ratificationem à potu ſortiretur, illo coronidem imponunt.

Alij quod ne inimico quidem optandum, amico faciunt: vt enim amici videantur, ad rationis & ſenſuum omnium ſubmerſionem cogunt: alij tædioſo otio prouocati, alij artificio luſus confiſi, ad ingurgitationem deſcendunt: inebriare ſiquidem illis tempus terere eſt. Quidam ſocietate illecti, nonnulli ancillæ aut filiarum hoſpitis venuſtate tracti, in tabernam veniunt, earundem nec fœditatem nec pericula conſiderantes. Videas ſingulis diebus tabernas illas, aliàs rixis, contentionibus, pugnis & homicidijs infames, aliàs iniuſtitiâ, prodigalitate, plurimorumque verecundiæ, pudoris, caſtitatiſque iacturâ deformes. Quæ tamen omnia cùm quotidie præter oculos eant, hoc non efficiunt, vt crebro potu caliginoſos & modicâ voluptate faſcinatos animos à tramite tam obſcuro & deuio dimoueant: ſed nullâ fœditate, nullis ludibrijs, nullo damno, nullo periculo territi incautiùs labimur, & ſuum inſtar

inſtar in ijſdem ſordibus volutamur.

Sed ordinem rei videamus, neque enim ſubitò, ſed gradibus quibuſdam, ad ebrietatem & annexas huic ſordes aſcendimus, quas in ſingulis ſingulas, attamen diuerſas reperiemus: quantum enim ſingulis hauſtibus rationis minuitur, tantum ſordium ac fœditatis accreſſit. Babylonicas matronas ad amuſſim imitantes: quarum conſuetudinis erat, ſecundùm Curtium, modeſtiam priùs apud vinum tenere, paulatim libaminibus excitatas ſuperiora quæque veſtimenta abijcere, ad extremum, potu verecundiam tollente, omnia ſecreta corporis reuelare; ſic nos ad immodeſtam licet modeſtiam priùs compoſiti, exorbitatio tamen paulatim cum potu ſerpit; deinde verecundiam omnem abijcientes vitijs omnibus locum damus: *Et quid mirum?* inquit Erycius Puteanus, *cùm & à nimbo præcipites & luculenti riui ſordes vnà vehant?*

Prima pocula, vt & plurimùm primi congreſſus, curioſâ plerumque rerum nouarum quæſtione teruntur: quid Romanorum Imperator, quid Galliarum, Hiſpaniarum, Britanniæ, Poloniæ Reges: quid reliqui Chriſtiani Principes moliantur, curioſè diſcutitur. Quot in illo prælio occiſi, quid poſt conflictum factu opus ſit, quorúmnam Principum

pum fortunas ſecum conuoluerit: quænam rbes in arbitrium, quænam in fœdera deſ-:nſuræ: quænam oppugnandæ, quamdiu ppugnandæ: quænam & quantum multan-æ. Quidnam de illis fœderibus videatur, ntne licita, ſintne neceſſaria. Iuſtáne illius ædes ſit an crudelis. Quàm potens ille Princeps, quàm iſte impotens: quàm ſumptuoſè iuat ille, quàm alter benè. Quiſque autem ffectum ſuum promit, aut aliorum (propriâ uâdam vtilitate tranſlatus) ſequitur: ſed uàm extemporanea iudicia, tam temeraria: juàm curioſa, tam friuola; quàm affectuoſa æpè, tam vitioſa, quanto denique odio rofecta, tam iniurioſa.

Proficit deinde incuriâ ſuâ & delectatio-ie, fraudulentis calicibus, iudicij morumque eruerſitas: quantumque liquoris infunditur tero, tantùm veneni & cum fœnore quilem ſoluto ore refunditur: quantò ampliùs tomachus obturatur, tantò liberaliùs, ruptis ilentij vinculis, linguæ & oris fræna laxan-ur: quantum accedit audaciæ, tantum de-:edit pudoris. Nemo non loquitur, nemo ion clamat, nemo non diſputat: diceres ve-eres Orgiophantas eſſe, non Chriſtianos. Ille audes, ille facinora crepat: alius ingenij dotes & gratias gratis datas, alius diuitias opumque ffluentiam, quidam generis claritatem, non-nulli

nulli rerum omnium cognitionem, alij (& maximè Senes) iuuentutis ſuæ prælia, tempora, mores, alij immenſa itinera, diuerſiſſimarumque gentium idiomatum notitiam (apud imperitos maximè) intolerandâ præſumptione eructant: vix enim vnquam aliquid ſinceri, ſed pleraque fuco aut mendacio deformia, madido ore deſpumant. Quiſquis audiri vult, nemo audire, & iraſcuntur inuicem quod omnes audientiam ſibi vendicent, nec omnes ſibi concedant. Quiſque alterius rationem & loquelam tacitè ridet, propria verò non ſecus ac oraculo quodam profecta, ſingulis venire allaborat. Quiſque ſibi ſapiens, ſibi prudens, ſibi ingenioſus, ſibi diues & potens, nullius egere auxilio, nullius gratiâ videtur: omni ſollicitudine poſitâ in ſubitam ſpem promotionis ſuæ aut rerum ſuarum nonnunquam erecti, ſubitâque lætitiâ delibuti, maiora viribus ſuis promittentes, in craſtinum & ſui ſibi & aliorum riſum parant.

Influunt interim inconſulti crateres, fluctibuſque ventris, humanæ mentis tyrannis, in deteriora magis magiſque proficimus: & quæ hucuſque aut lætitiæ, tilillationis, aut garrulitatis fuêre, in maximam proprij & aliorum corporis & animæ perniciem migrant. Lætitiæ in ineptias & petulantias: titillationes

llationes in detractiones: garrulitas in iurꝰa & pugnas abeunt.

In quaſcumque autem deformitates cuiuſ. ie natura declinat, eo potu incaleſcens m rapitur. Alius oſcula libat, quæ vereındia ante inhibuerat: alij corpore impuicitiâ polluuntur, alij animo, alij ore: quiſue autem aliquid profectui ſcelerum ſuoım adijcit. Omnes aculeatis quibuſdam erborum ſpiculis laceſſunt. Quot linguæ, ot plagæ; quot voces, tot vibices, vix etiam inico animo concoquendæ: non enim ıulta iam ſolùm loquuntur, ſed mala. Prædes, Superiores, Præfecti, denique boni mnes, cum modeſtia & ſapientia vitijs in ſta vapulant: peccant, qui non peccant, ıoderati ſermonis offendunt, calumniæ ſtimate cenſetur, ſi quis opportuno fræno linuam coërceat.

Aliena vitia aut comminiſcuntur, aut deteuntur, ne anhelanti linguæ pabulum deſit, ed nouo vitio & ſimul conuitio. Optimè, vt olet, de hiſce Liberi patris ſequacibus Eryius Puteanus: *Irriguum*, inquit, *calumniæ eminarium dixeris, in quo ſontes ac rei trauntur mores, boni cuiuſque ac mali. Hic foro eßit, ille patrimonium prodegit, iſte pudorem roſtituit: huius inglorij parentes, huic familiæ ſauus: quanti viuat quiſque, quanti ſapiat, inſipientes*

inſipientes ipſi curioſis calculis emetiuntur.

Nihil non efferato ferè animo audent, adeoque timidos etiam in temeritatem pellit. Alius iniuſta aſſumit certamina, nulliſque exiſtentibus cauſis aſperam excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum ſana dicta non patitur audire, ſed in contumeliam erigitur aliorum & proximorum crimina: alius in craſtinum ad duellum prouocat, &, vix edormitâ crapulâ, pœnitentiâ ducitur: alius inueteratum odium aperit, alius iram, & inimicum, cuius ipſe potentiam & robur ſobrius verebatur, benè iam potus, ſed minus potens, vltrò impugnare decernit: incautiùs, quò audaciùs, periculoſiùs, quò magis temerè: cùm ſenſus omnes officium non agant, cùm abſens magis ſit quàm præſens, cùm omnia corporis membra certiſſimo ictui vulneriq́ue pateant.

Adde quod & facilis victoria, de madidis &
Blæſis, atque mero titubantibus. ——

Alterius aliud meditatum diu, ſed tectum, ſcelus nouo ſcelere erumpit: vt enim anima ſicca eſt ſapientiſſima, ita tot calicibus fluctuans inſipientiſſima eſt. Veriſſima ſunt illa Annæi, *Dic*, inquit, *nihil aliud eſſe ebrietatem quàm voluntariam inſaniam; extende in plures dies illum ebrij habitum, nunquid de furore dubitabis? nunc quoque non eſt minor, ſed breuior.*

Refer

eſer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum ariſsimum ſibi & fideliſsimum inter epulas tranſ-odit: & intellecto facinore mori voluit, certè de-uit. Omne vitium ebrietas & incendit & detegit, ſtantem malis conatibus verecundiam remouet, ures enim pudore peccandi quàm bonâ voluntate licitis abſtinēt. Et pergit. *Vbi poſſedit animum ni-ia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non cit ebrietas vitia ſed protrahit, tunc libidinoſus cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus is, quantum petierint, ſine dilatione permittit: nc impudicus morbum profitetur ac publicat: nc petulans non linguam, non manum continet, eſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, mali-itas liuido: omne vitium detegitur & prodit.*

Adde illam ignorantiam ſui: adde rimu-is quoque mentis oppreſſæ ac futilis, & raui pondere fatiſcentis vnde ſecreta ef-uunt, ſæpè cum propria, ſæpè cum aliena ernicie: quæ multis mortis & extremæ mi-riæ cauſa fuit. Hinc Horatius:

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit, ecundùm illud Prouerb. 31. *Noli Regibus, ô amuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum cretum eſt, vbi regnat ebrietas.* Itaque decla-ationes iſtas, mi Seneca, de medio non emoueamus. *Non eſt animus in ſua poteſtate brietate deuinctus. Quemadmodum muſto dolia ſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in*

ſummam partem vis caloris eiectat; ſic vino exæſtuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne ſecretum quidem, quod ſuum alienumq́ eſt, pariter effundunt: Veræ enim ſunt, & quas conſiderantes Hiſpani tui cautiſſimè, vel ſemel in ebrietate deprehenſos, publicis negotijs tanquam ineptos, arcent: quomodo enim Reipublicæ conſulant, qui ſibi non conſulunt, quomodo Reipublicæ ſecreta premant, qui ſua vomunt? Parum autem ipſi obſcuratæ mentis defectu perdidiſſe ſe ipſos penſi habent: nec damnum ſentiunt quod non intelligunt; vt ſeriùs ſed veram pœnitentiam agant. Canunt enim illi, adhuc

Liliolæ violæ placidiſſima pectora: bellæ
Vos ſoboles Comi, bella tenella vocant.
Bella recrudeſcant genialia; bella tenella.
Perbella Cereris, Pampinijq́ Patris.
Extorquete mero belliſſima fœdera pacis,
Mittite neruosâ tela Phalerna manu.
Comus adeſt, & ad arma vocat: ſæuiſſimus huius
Hector qui fuerit prælij, amicus erit.

Audent adhuc ad æquales hauſtus cogere: audent adhuc, dum propriam mergunt, in aliorum ſanitatem bibere. Nec terrent quæ inferuntur diotæ, neſcio quales, quibus infernè diaphano corpore incluſæ aleæ, vt ad

ıumerum eum quem Fortuna obtulerit,eaſ-
lem euacuent; audent adhuc ad neſcio quos
itrorum & poculorum nodulos prouocare,
c plura alia infelicis luxuriæ commenta.

Ingerunt interim ſibi plus quàm capiunt,
ec ſtomachi ſui nôrunt menſuram: & ad
am tandem fœditatem, ad tam vitioſam
ımque triſtem ægritudinem, imò furorem
eſcendunt, vt ſcienter iam penitus obruant
que enecent ſpumanti dolio rationem. Nec
ıortui ſunt, nec viuunt, beſtiæ veriùs quàm
omines. Quod enim ſingulare habet homi-
is natura, neque pedes neque linguam ne-
ue animum in poteſtate habent. Tremulum
:rtiginoſumque caput, tecta ipſa mobilia
:lut aliquo turbine circumagente totam
omum, inſtabiles manus, incerti & ſtillan-
s oculi, grauis odor corporis, eructant &
ahunt potiùs dubia quædam & parum ex-
anata verba quàm loquantur. Errant hinc
de gradus, fœdi & periculoſi interdum
ɔſus, taceo libidinis regnum, virtutis exi-
ım, vulgi fabulam ac riſum, bonorum o-
um atque contemptum, mutationem re-
ntinam: ſileo & quamlibet doctorum in-
ıntiam ac cuiuſlibet ætatis infantiam, om-
um iocis ac fraudibus omniumque ludi-
io expoſitam: vt mirum mihi non videa-
r monſtrum tale, rationale animal ſine ra-

tione, Lacedæmonios liberis ſuis in exemplum, in ſannas & iocos conceſſiſſe, vt bellicoſa gens bellicoſiſſima eſſet: ne validiſſimos vrbis ſuæ muros, hoc eſt corpora eneruarent: ne quando incautiùs vino obruerentur: ne vigilantibus viciñis Athenienſibus, Thebanis alijſque æmulis aliquando ſopiti præda fierent & ſpolium: vt denique Lycurgi legibus abſolutâ libertate ſeptingentis annis iugiter fruerentur. Nôrant enim cum Seneca quas ſæpè clades publica ebrietas edidiſſet: hanc acerrimas gentes bellicoſaſque hoſtibus tradidiſſe: hanc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia pateфeciſſe, hanc contumaciſſimos & iugum recuſantes in alienum egiſſe arbitrium, hanc inuictos acie mero domuiſſe. Audierant Cirum Perſici imperij conditorem crapulâ non acie victum, muliebri ludibrio & vindictæ patuiſſe, victæque armorum violentiâ Thomiri, vinolentiâ victoriam tandem reliquiſſe. Audierant ſuperbam vnà cum imperio Aſſyriorum Babilonem ſub cyatiſſante Balthaſare vnâ nocte corruiſſe. Videbant de imperio & libertate decertantes Afros, ebrietate demum peſſumdatos, ad Carthaginenſium nutum ſtare. Sciebant denique Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victâ temporum locorumque difficultate

ıltate ierat, tot flumina ex ignoto caden-
a, tot maria tutum dimiſiſſe: intemperan-
ım autem bibendi & illum Herculaneum
fatalem ſcyphum condidiſſe: ambitio-
mque Regem, vt quos armis, gloria biben-
vinceret, mortem aſciuiſſe. Recte An-
:us: *Quæ gloria eſt capere multum? cùm pènes
ıalma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno
vomitantes recuſauerint, cùm ſuperſtes toti con-
io fueris, cùm omnes viceris virtute magnificâ,
nemo tam vini capax fuerit, vinceris à dolio.*
Sed reuertamur ad eos quos errabundos,
os plateas, muros, lapides, terramque fati-
ıtes reliquimus: Lares tandem cum diffi-
tate attingentes. Cùm omnia quietem
deant, quieſcere tamen nondum poſſunt.
us minas in inimicos, alius in familiam
ijcit: alijs vaſcula terrea, vitrea, & frá-
ı quæque impedimento ſunt, & cùm non
ıs volunt vel audent, illa lacerant, illa
tunt: ab alijs flagellatur immunis vitio
les, ab alijs importuna vxor: hic occupa-
:eruiſiâ vel mero ſtomacho imprimere
uc cibos conatur, ille præ nimio potu
ſeabundus vlteriore tamen adhuc di-
dere viſcera molitur. Alius quam pri-
ı ſedem occupauerit, pro lecto habet,
dormitâ parumper crapulâ, ſeſſionis
m, imò ædes ſuas non agnoſcit; alius

irreuerenter ſatis ab alijs, veſtimentis exutus lectuloque locatus, onere ſuo cruciatur.

Omnium autem interrupti frequenter ſomnus, innumera autem & horribilia ſomnia, & quæ ebrietas priùs fuit, crudelitas illis iam facta eſt.

Pulsâ deinde ebrietate alij interitum & ſuum & rerum ſuarum, alij pericula vident: quidam pridianum damnum, nonnulli pridianas ineptias erubeſcunt.

Pridiani inſuper potus reliquiæ craſtino inſultant. Hic capite, ille inteſtinis dolet; iſte nimiâ veſicæ extenſione cruciatur, plerique autem ſitiunt, & crudum ſtomachum inordinato hauſtu irritant, & ſecundam ieiunamque ebrietatem prioris medicinam volunt. In quos tamen hæc Stoicus: *Iſti tibi non videntur contra naturam viuere, qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad menſam ebrij tranſeunt?* Atqui frequens hoc potatorum iam vitium eſt; video ego tales ſæpiſſimè (cum Nouatiano) *Nouo genere adhuc ieiunos & iam ebrios: non ad popinam currentes, ſed popinam ſuam circumferentes: quorum ſi quiſquis ſalutat, non oſculum dat, ſed propinat.* Video turpiores qui potando noctem diei iungunt, cum Acerra illo, de quo Martialis:

Heſterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem ſemper Acerra bibit.

Video

Video alios ne hoc quidem contentos, ſed qui ad duos, tres, quatuor dies noctesque, in eodem cænaculo potum & ebrietatem continuent, nunquam ſobrium eſſe aut tanto tempore fuiſſe glorioſum exiſtimantes. Video nonnullos adeò potu deprauatos, vt inordinatus ſtomachus vix vnquam niſi modicum cibum, ceruiſiam autem & vinum ſemper ferat: quorum corpus quantum eſt, lagena eſt. Video qui alto iam ſole ſemiſomnes vixque ſobrij iacent, quorum vigilia ordinariè medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum eſt. Vidi enim reuerà eiuſmodi, imò allocutus, qui (vt de quibuſdam ſui æui Sapiens Romanus) officia lucis noctiſque peruerterent, nec antè diducerent oculos heſternâ graues crapulâ, quàm appetere nox inciperet. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (vt ait Virgilius) pedibus noſtris ſubditos è contrario poſuit:

Noſq; vbi primus equis oriens afflauit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina veſper.

Talis horum contraria omnibus non regio ſed vita eſt. Omnis dies ipſis nox eſt: quot noctibus autem pro diebus, tot ebrietatibus abutuntur. Hoc infallibile, nunquam, niſi aut dormientes aut inebriantes, conueniendos. Video helluones in hoc vt plurimùm

intentos, quemadmodum ſitim primâ potione ſedatam reuocent. Video qui remedijs abutantur vt capiant multum, & quantumuis infuderis vtero, impleas quidem non ſaties: quantumuis oneres, non inebries.

Quid plura? Nouum genus ſine liquore transferendi mentem inuenimus: diceres commentum hoc non niſi Plutonis aut Vulcani Aulâ fluxiſſe. Fumus eſt, & quid aliud poteſt quàm obſcuritate ſuâ eam rationem obſcurare, ita prius obſcuratam, vt obſcuritatem tam fœdæ rei certamque perniciem non aduertat? vidit perniciem Othomannus, & imperium ſuum præcedenti anno nicotiano illi aut tabaco, vt vocant, interdixit, nos è contra dudum hoc iam canimus:

Nulla ſalutifero præſtantior herba tabaco.

Ille cum dedecore profligatum, nos dedecus cum decore receptum volumus: & quaſi inuitantes hoc priuilegio ornauimus, vt ieiunium non frangat ne quidem naturale. Hâc noſtrâ promotione adeò profecit, vt Eccleſiaſtici non minùs quàm ſæculares, fœminæ non minùs quàm viri, puellæ non minùs quàm adoleſcentes, pueri non minùs quàm ſenes, è Braſiliæ & Indiæ occidentalis ſpatijs mutuata herba inſoleſcant.

Videntur autem vinum, ceruiſia, nicotianum in æterna fœdera conceſſiſſe, adeóque

firmâ

firmâ pace vnita eſſe; vt indiuidui in perpetuum futuri ſocij omninò videantur: nec enim vinum, nec ceruiſia tabaco, nec tabacum iſtis alijſque liquoribus viduatur: hæc enim adeò arctè copulata ſunt, vt ſine vtroque ſympoſium vix vllum tranſigatur.

Videas vtrumque ſexum, Eccleſiaſticos etiam & ſæculares: cum iuuentute canam ſenectam certatim fumigare. Quid veteres Romanos Græcoſque dicturos putes, vbi catervatim homines nouo modo ignem & fumum perpetuò ſpirare conſpicerent? Hercules certè decimum-tertium & plures labores relictos ſibi ingemiſceret, vbi quot homines videret, tot Cacos ſuſpicaretur. Videas integros dies plurimos in hoc fumo & obſcurâ caligine verſari: videas non paucos in plateis & ciues & milites: & quod ridiculum, ad aratrum ruſticos in pileis & capitis tegmine tubos, in ſacculis autem & peris tabacum circumferre: videas alios ſolo ore, alios artificio quodam non ore tantùm, ſed & naribus imò & auribus fumum vomere: videas nonnullos continuo hoc inebriandi genere intempeſtiuam mortem acceleráſſe, nec tetro odore tantùm, ſed & atro colore inteſtina corrupiſce: vitiâſſe autem totum ſubiectum.

Nec ore tantùm ſed & ſciſſum, cõtuſumq́; naribus bibitur; varijs hoc capſulis circum-

fertur, ſingulis horis, quandoque etiam medijs, è manus conuexu bibitur, quo cum naribus tota corporis diſpoſitió alteretur: præſentibus vt plurimùm liberaliter propinantes, vt ſternutationibus ſuis vicinos omnes turbent. Nunquid non iſti popinam ſuam circumferunt, qui in ſumma cibi liquoriſque egeſtate, quocumque loco, minuto puluere, ad ſiccam ebrietatem nouo ſpectaculo luxuriari didicerunt?

Sed vt omnia gulæ inſtrumenta, nec iſtud ſine veneno eſt, audio qui ita largè haſce minutias quibuſdam vicinis cerebro cancellis propinârint, vt ad totius compoſiti diſſolutionem neceſſariò deuentum fuerit. Sed æger ero, ſi omnem gulæ ægritudinem taxare velim. Claudo ergò hiſce Romani Philoſophi: *Vitæ officium*, inquit, *& argumentum actus eſt: aues quæ conuiuijs comparantur, vt immotæ faciliùs pingueſcant, in obſcuro continentur; ita ſine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadit, & ſuper membra ingens ſagina ſuccreſcit. Ita iſtorum corpora qui ſe tenebris dicauerunt, fœda viſuntur: quippe non ſpecioſior illis, quàm morbo pallentibus, color eſt. Languidi & euanidi albent, & in viuis caro morticina eſt. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim: quantò plus tenebrarum in animo eſt? ille in ſe ſtupet, ille caligat, inuidet cæcis.*

CAP.

CAPVT XXI.

Scena Iraſcentium.

PAſſiones omnes premere, maximè autem deformis iræ, ratio eadem docet, cui nullum aliud magis inimicum vitium: ſtat adhuc cum reliquis, & aliquatenus officijs ſuis fungitur, cum ira nihil penitus ei commercij eſt: aut enim fugit, in quantum ratio hominem fugere poteſt, aut fugat iram. Sic vt vbi ratio eſt, ira non ſit; vbi ira, ratio exulet: nempe vt Phylemon Poëta,

Inſania omnes nos habet, dùm iraſcimur.

Quid eſt enim quo non progrediatur ira? inquit Cicero, *eodem quo furor: itaque iratos propriè dicimus exijſſe de poteſtate, id eſt, de conſilio, de ratione, de mente. Horum enim poteſtas in totum animum eſſe debet.* Et herculè, nil humanum minùs quàm ſæuitia & feritas; contrà nil homini ſuum magis quàm miſericordia & lenitas; quibus nihil tam cõtrarium eſt quàm ira, & quicquid animi impetu homo in hominem committit aſperius. Pudeat cum animalibus mutaſſe mores.

Aſpice quàm placidus inſultet turba iuuentis,
Et ſua quàm facilis pondera taurus amet.

Cornibus

Cornibus hic pendet ſummis; vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma boue.
At feritas immota riget. Non eſſet arena
Tutior, & poſſent fallere plana magis.
Nec trepidant greſſus, ſed de diſcrimine palmæ
Securus puer eſt, ſollicitumq́ pecus.

Et nos nobis non parcimus qui ad cœtum geniti ſumus, ad ſocietatem, ad concordiam. Ad feritatem degeneramus, vt homines non ſimus: & dum vindictâ ſuperiores eſſe volumus, infra homines nos ipſos humiliamus, dum in feralem vltionem rapimur, æſtimatores egregij, infirmitatem quaſi fortitudinem in ſubſidium legimus. A paſſionibus ſuis vinci, infirmitas eſt; ab ira vinci, ne viro quidem conueniens: veternoſi enim & infelicis animi eſt, imbecillitatis ſibi conſcij, ſæpè indoleſcere. Vt exulcerata & ægra corpora ad ictus leuiſſimos gemunt; ita muliebre maximè & puerile vitium eſt: *Inualidum enim omne, naturâ querulum eſt*, inquit Menander,

Et feruidum iſtud atque exaſperans nimis
Infirmitatis omnibus ſtatim nota eſt.

E contrà autem, vt Ouidius:

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit,

at incidit in viros. Nam viris quoque puerilia & muliebria ingenia ſunt.

Si autem

Si autem difficulter cohibere motus no-
ſtros poſſimus, quantò ſatius eſſet in noſmet-
ipſos eos dirigere, qui maximè maximo no-
ſtro damno delinquimus? ſi enim illud Pla-
tonis quotidie in aure nobis ſonaret: *Anne
ego ſum talis?* atque ita ab externis cogitatio-
nem intrò flecteremus & criminationibus
metum miſceremus, non admodum alijs iraſ-
ceremur, cùm venia nobis opus eſſe cognoſ-
ceremus.

Adde quàm turpis, quàm noxia ira ſit,
quàm fœda viſu & horrenda facies depra-
vantium ſe atque intumeſcentium. Neſcias
utrùm magis deteſtabile vitium ſit, an de-
forme. Cætera licet abſcondere & in abdito
habere, ira ſe profert & in faciem exit, quantò-
que maior eſt, hoc efferueſcit vehementiùs:
ut meritò Plutarchus dixiſſe videatur: *Mihi
verò ſi ſcitus vel elegans ſit comes vel aſſecla, non
ægrè feram ſi in ira proferret mihi ſpeculum, ſicut
quibuſdam iam lotis comptiſq; ſolet ſine vllo fru-
ctu: & ſe ipſum ita videret præter naturam con-
tutum & vndique turbatum, non parum confe-
ret ad affectus huius damnationem. Perturbaret
quidem tanta mutatio ſui: velut in rem præſen-
tem adductus non agnoſceret ſe.* Et quantum ex
tra deformitate imago illa ſpeculo reper-
cuſſa redditura eſſet: animus ſi oſtendi & ſi
vlla materia perlucere poſſet, intuentes
nos

nos confunderet, ater maculoſúſque, æſtuans & diſtortus & tumidus. Nunc quoque tanta deformitas eius eſt, per oſſa carneſque & tot impedimenta effluentis; quid ſi nudus oſtenderetur? fœditatem eam videremus cuius extra modò imago tam fœda eſt.

Sapientia deinde omnis perditur, vt quid quóve ordine agendum ſit, omninò neſciatur: quia nimirum intelligentiæ lucem ſubtrahit, cùm mentem permouendo confundit: agens ea momentaneo impetu, quæ in longum æuum pœniteant. Sed abſurditates hæ quia non perpenduntur, vitium non euitatur, quod, heu! quantum non in mortalibus inualuit? iam olim raritate lenitatis prouocatus exclamauit Claudianus:

—— Dijs proximus ille,
Quem ratio non ira mouet, qui facta rependens
Conſilio punire poteſt. ——

Etenim omnes in vindictam ruimus etiam rerum nihili, nobiliſſimum vindictæ genus (parcere nimirum) negligentes. Quæ enim non inſania eſt ad leuiſſima quęque concitari? ille mihi cognomen impoſuit, ille me parum humanè ſalutauit, ille dexteram occupauit, ille ante me domum ingreſſus eſt, ille inchoatum ſermonem citò abrupit, ille acerbiùs paululum locutus eſt, illius vultus auerſior viſus, ille ad cænam me non vocauit, ille me fri-

ne frigidè laudauit, ille in familiam meam, n inceſſum meum, in mores meos, in mem- ıra mea, in defectus corporis mei, in diui- ias aut paupertatem meam, in ingenium aut ıemoriam, in diligentiam aut doctrinam, n ſtudium aut induſtriam, in tarditatem, gnauiam, ſomnolentiam & otium meum ɔcatus eſt: parum agilis eſt puer, ollam ter- eam, poculum aut vitrum fregit, parum ıutè coctus cibus, turbatus eſt veſtigio to- us, menſa negligentiùs eſt poſita, focus pa- um eſt calidus; non eſt ilicò ad manum vo- atus puer: minimis hiſce ſordidiſque rebus xacerbamur. Quid? Libros mendoſos la- eramus, veſtimenta, quæ diſplicent, ſcindi- ıus, proijcimus ea quæ nobis aduerſantur: iſce iraſci quàm ſtultum eſt, quæ iram no- :ram nec meruerunt nec ſentiunt! ſed nos ffendunt videlicet qui illa fecerunt. Quid ſt dementius, quàm bilem in homines col- ctam, in res effundere? & hæc tamen quàm buia! imò quæ ad cōmodum vniuerſi ſunt: ëris tempeſtati, acerbitati hyemis, æſtatis rruori, pluuiæ etiam & diuturnæ ſerenitati ıt ſiccitati indignamur: pœnas veluti à Deo xpetituri ſi poteſtatis hoc noſtræ foret.

Iam verò ſi te mentiri quis dixerit, ſi ſce- ſtum appellauerit, ſi nobilitati tuæ contra- ixerit, ſi verbo detraxerit, ſi famam læſerit, atim *viſcera*

—— Viſcera felle
Candeſcunt: ardes ſtimulis, ferimurq́; nocendi
Prodigi. ————

Maledicta inſanaſque furoris flammas ore vomimus, minamur cruces,tormenta & ſupplicia, prouocamus ad pugnas & pugnos, ad ferrum & plombeas glandes. Arma nobis expedita proſpicimus, gladium commodum & habilem, cultrum acutum & oblongum, fiſtulam omnibus modis abſolutam & accuratam. Machinamur neces & vltra necem crudelia. Mille interim inprecamur pericula, mille damna, mille mortes, mille ſupplicia, mille dæmonia.

Opportuno deinde tempore venitur ad manus, mutilamus membra, ſcindimus ora, eruimus oculos: & quod turpiſſimum, vitam eam quandoque, inſano furore agitati, momento tollimus, quam reddere nullus vnquam mortalium aut vllius vnquam pœnitentia poterit. Nec ipsâ quidem morte multi contenti ſunt, in hoc vt plurimùm intenti, vt animam quoque in æternum trucident.

Nec hæc inter ignotos tantùm: ſed inter familiares, ſed inter conſanguineos, ſed inter fratres, ſorores, ipſos etiam coniugatos. Hîc quotidiana iurgia, quotidianæ detractiones, quotidianæ minæ, quotidiana verbera, cum ſcandalo aliorum & multorum ludibrio,

(ſunt

ſunt enim tales qui alienis diſſidijs iurgijſq;
aſcuntur. Quos egregiè laudabili exemplo
:niſſimus notauit Socrates: cùm enim Xan-
ppe eius clamante & ſurgante quidam hor-
ırentur, vt reſiſteret, vt impudentem inua-
eret: *Nempè*, inquit, *vt vos ſpectantes accla-
etis, eia Xantippe, eia Socrates.* Vtinam omnes
quantur.) Quot non quotidie horum mu-
:as cicatrices, mutua vulnera, mutuos liuo-
s aduertimus? quot non ſanguineorum cæ-
:s, quot non fratricidia, parricidia, quin
ıniugatorum neces audimus? quot non
demus

—— Parentes

Frontibus aduerſis, fraternaq; cominus arma?

Et hæc effrænata & attonita, priuata ta-
:n adhuc iræ rabies. Quid ſi ſuum ei in
blicis apparatum reddamus? Quid ſi acu-
ıs & fidiculas, ergaſtula & cruces, & cir-
mdatos defixis corporibus ignes, & cada-
ra trahentem vncum, varia vinculorum
ıera, varia pœnarum, lacerationes mem-
ırum, inſcriptiones frontium, beſtiarum
nanium caueas, viuorum hominum ſub-
rſiones, cataſtas & patibula, rotas &
mbata, ſecures & flagella vnius Regis
Principis iniuſtâ indignatione applicata
ducamus? per hæc enim inſtrumenta
rida & ſtridens ſæuit ira, omnibus, per

quæ furit, tetrior.

Hâc Alexander Magnus exæſtuans Clitum fortiſſimum militem, nutricis ſuę filium, manu ſuâ carnificis inſtar occidit: Liſymachum validiſſimum Heroam leoni obiecit, victoriâ illuſtriorem euaſurum: Callyſtenem Philoſophum, præmio quàm ſupplicio digniorem ſuſtulit: fortaſſis etiam nihil tale meritos Permenionem & Phylotam: quem poſtremum iratus ipſe, irato homini & in ſæuiſſimo eius inimico, Cratero indignis modis lacerandum conceſſit.

Huic indulgens Cambyſes, dum vindicare Ætiopum Regem aggreditur, in exitium ſe penè ſuum & exercitum præcipitauit: cùm in inimicos non poſſet, in ſuos crudelitatem neceſſariò vertit. Antropophagos Perſas fecit, decimum quemque, extremâ fame compulſi, deuorauerunt: & iræ pœnas, quas ab inimico oportuit, à ſemetipſo perpeſſus eſt.

Quis ſanguinem illum Romanum, quis Conſulares, Senatores & Equites cum aduerſaria plebe, Caij Marij ſepties Conſulis, feliciſque Syllæ infelicibus gladijs vindictæ gratiâ, deuoratos numeret! quis toto terrarum orbe, Martyrum pro Chriſti nomine, ab ira percitis tyrannis, innoxium effuſum ſanguinem colligat? ſic effera ſæuit ira: nec veri, nec deco-

nec decoris, nec honeſti rationem vllam habet.

Quin imò iratus Martius Coriolanus in Romam patriam ſuam arma vertit. Theodoſius Chriſtianus, Catholicus, pius, iræ ſuccumbens ſuæ in Theſſalonicenſes immani crudelitate graſſatus eſt.

Quot non Imperatores, Reges, Principes, Aulicos ira ſuſtulit? quot non populos, quot non nationes tranſtulit? quæ imperia non euertit? vbi Athenæ, Thebæ, Lacedæmon, Carthago? Vbi Niniue, vbi Babylon, vbi Troya, & ipſa tandem quæ plurimas irata deleuerat, vetus Roma? à Ghotis & Wandalis iratis nec ſemel quidem diruta eſt.

Nec opus tam antiqua repetere, Magdeburgum illud ingens, potens, munitum, bellicoſum, quod in Germania ad Albim viſebatur, non eſt amplius: digna quidem, iræ tamen Cæſareanorum militum ſuccubuit. Non venio ad prælia & exercitus, ſufficit hiſce furoris & inſaniæ exemplis, tamquam coloribus ſuis & lineamentis, iram pinxiſſe.

CAPVT XXII.

Scena Inuidorum.

BEnè Phocilides:

Ne inuideas bona ſocijs, ne maculam contrahas,

Sine inuidia Cæleſtes etiam inter ſe ſunt.

Non inuidet Luna multò præſtantioribus ſolis radijs,

Non tellus cæleſtibus altitudinibus, cùm ſubter ipſa ſit.

Non flumina pelagis, ſed ſemper cõcordiam habent.

Quantò amplius rationales creaturæ in fulcrum mutuum & cõmoditatem productæ? laborare in commune oporteret & proficere, lapſibus etiam & debilitati ex inſtituto ſuccurrere, ſi neceſſe foret: ſed neſcio quæ non ſint, quæ hominem in perniciem hominis non infligent.

Dixit quidem Annæus, *Inuidiam effugies ſi te non ingeſſeris oculis, ſi bona tua non iactaueris, ſi ſcieris in ſinu gaudere*: ſed reuerà nulla tam modeſta felicitas, quæ malignitatis dentes vitare poſſit. Licet totius humanæ vitæ curriculum, licet conditiones omnes, licet omnium luſtrauerimus fortunam, nihil à liuore vacuum nihil tutum inueniemus: ſuperioribus, æqualibus, imò & inferioribus, modò vicinis, inuidemus: lippa enim eſt inuidia, longin-

qua

a non videt, vicinitas atque proſperitas
s parentes ſunt.

Et quæ non inuidia in eiuſdem opificij
inis? Verè Heſiodus:

Et figulus figulo iraſcitur & lignarius lignario,
Et pauper pauperi inuidet & Poëta Poëtæ.

nnium ad ſe trahere fauores nituntur, tri-
i ſuo ne aſſem vnum quidem fauentes,
ie emori illos mallent quàm felices eſſe.
rcantes ipſos odio habent ad offendicu-
i eorum ſtudioſi, tranquillitatis vtriuſque
tes, felicitatis eorum excubiæ:

Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecêre dolores,
Et videt hos ipſos intabeſcitq; videndo
Succeſſus hominum,

nibus non abſimiles, qui dum alios oſſa
entes vident, eadem ex ore rapere nitun-
: tantum enim alienis detractum volunt,
ntum ſuis adijci.

Deinde omne id alijs inuidemus, quod
ois deberi putamus; hinc cùm tanta Phy-
ia ſit, cùm nemo ſe non æſtimet, cùm
o non putet ſe prudentem, circumſpe-
n, & verbo, aliquem magnum eſſe, tanta
fficijs & beneficijs inuidia eſt. Alterum
is prælatum ingemiſcit, quo ſe ſuperio-
eſſe præſumit; nunquam hoc bene ce-

 dere,

dere, quod ſibi volebat, illi vult, & ad ruinam ei eſſe, quod ſibi ad faſtigium: nunquam non volunt vt collatorem aut officij aut beneficij dati non pœniteat: ſi vllâ ratione fieri poteſt ad hoc allaborant, vt ſpoliato priore in ſe transferatur: ad hæc infortunia, damna, infamiam, offenſam, aut ipſi ſubdolè creant aut ventura auidè præſtolantur,

Vixq́; tenent lacbrymas, quia nil lacbrymabile cernunt,

Sin perpetuum eſt & toti vitæ annexum, ſpiritum ipſum inuident tanquam promotionis ſuæ obicem: pericula, offendicula, rixas, pugnas tacitè machinantur, nihilque non faciunt vt alterius animam ponant & officium ſibi ſumant.

Felicitatem vlterius ingredior & ſimul inuidiam, vnà enim ambulant & pari paſſu: maximæ felicitati maxima inuidia eſt: vt ex hoc etiam capite, quæ excelſa ſunt, non prærupta tantùm, ſed difficilia ſimul & periculoſa ſint.

Vix aliquid egregium & laude dignum geritur, quin altitudini gloriæ, paritas reſpondeat liuoris. Ciceronem Romanis & vrbe Romanâ ſeruatâ, Roma, non ſecus ac proditorem & impium Catilinam, in exilium miſit. Scipionem Africanum, deuicto Hannibale, euersâ Carthagine, & vndique

ſtabilito

ılito Romano Imperio, quaſi re peſſimè
:â, ad Linternum compulit. Pompeium
gnum, dilatato imperio maiorem, Iulio
ſari & alijs quibuſdam gloriâ grauem, ad
lem defenſionem adegit.
ĳ ludibrium lubrici Beliſarius orbis,
a nouercantu Fortunæ fabula: diua
m extulit, hunc eadem verſo ſpiramine tandem
ıidiâ ſtimulante dedit ſupereſſe dolori.
Luſi hoc de iſto viro nuper. Perſas in O-
ıte contuderat, Gothos ſub Iuſtiniano
uerſum Romanum Imperium inundan-
diuerſis prælijs in Occidente fregerat,
andalos in Meridie debellauerat, vtriuſ-
e populi Reges, Vitigem & Gylimerem,
ɔtos triumpho Iuſtiniani parauerat. Ro-
.m ipſam caput orbis, barbaris tum illis
:ionibus ad ſexaginta annos ancillantem,
armorum vi libertati reſtituerat. Vbique
ctor vni tandem inuidiæ vincendus ſerua-
tur: & dubites, vtrùm vllus calamitoſiùs:
ectati enim imperij (hoc velum liuor fe-
rat) falsò inſimulatus, à Iuſtiniano Impe-
tore dignitatibus primò deiectus, ſpolia-
s deinde opibus, ad extremum oculis pri-
.tus, neceſſitate & penuriâ obuiæ plebi
ɔmpulſus eſt dicere, date obolum Beliſario
nperatori, quem virtus extulit, excæuauit
 inuidia.

inuidia. Audiamus hac de re Ioannis Græci Authoris Iambos:

Iſte Beliſarius Imperator magnus
Iuſtinianeis exiſtens temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantem terræ cùm explicuiſſet victorias,
Poſteà inuidiâ excæcatus (ô Fortunã inſtabilem)
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in ſtadio:
Beliſario obulum date Imperatori,
Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia.

Amplius dicit Conſtantinus Manaſſes: exſpectâſſe nimirum carnificem quando ei ceruices gladio ſecturus eſſet. Videamus hoc in vehementi illa eius inuectiua, quâ probroſum Imperatoris inſectatus eſt facinus: *Sed hæc,* inquit, *inuidiæ ſceleratiſſimæ non placebãt: quapropter honeſtiſſimam Ducis famam parum æquis oculis intuebatur, & toto impetu gloriam eius oppugnabat. Nam vulgò quod dicitur, quid ſit vtile, ignorat inuidia. Quamobrem, vir fortunatus, magnus copiarum ductor, qui formidabilem Coſrhoën Perſarum Principem exterruerat, qui reges ſeruitutis iugo ſubiecerat, qui gladio tot Lybiæ nationes domuerat, vir denique Mauortius, & in prælijs animo leonino præditus, immanis belluæ, nimirum inuidiæ dolis circumuentus, abſque milite, propugnatoribus, pharetratorum turba ruinam*

indignam

indignam & lachrymis deplorandam ruit; factus eſt (heu miſer!) pupillo nudior, calicem calamitatum largiter hauſit: ſeu fugitiuum quoddam mancipium rebus ſuis vniuerſis ſpoliatus eſt: eóq; denique loci redactus eſt, vt (heu ſortem acerbam) carnificem expectaret, quando ceruices ei gladio ſecturus eſſet: O inuidia, bellua nocens, latrocinatrix, cædibus & perſecutionibus gaudens, ſcorpie infinitis ſtimulis prædite, tigris homines deuorans, dracæna venefica, lethalis herba, telum ferri expers, cuſpis acutiſſima, qualia deſignas & improba committis? quas calamitates, quæ mala ſtruis? Vincit me dolor, conturbat luctus, & lachrymas exprimit. Quòuſque perditrix tantum virium habebis? quòuſque ſceleratiſſima vitam humanam perturbabis? O tyranne mala machinans, ſanguinarie cuncta appetens, etiam ipſe (quod nunquam oportuit) tuas in manus incidi, tuaq; tela expertus iaceo, parumper adhuc ſpirans. Sed in tantum infelix felicitas eſt, vt & hæc pericula ſecum vehat: quòuſque eadem & potentia vires ſumunt, eòuſque omninò & liuor, vt potentiorem quemque & feliciorem æqualibus ſpiculis inuidiam inſectari, licet non aduertas, meritò tamen iudices.

Nec minor in faſtigio eſt, quàm in potentia aut felicitate: imò quia in potentia & felicitate, etiam in faſtigio, cùm & faſtigium potentia quædam & felicitas ſit. Nec dicat

quiſquam ſuper inuidiam aliquid eſſe, cùm Imperatores & Reges, qui ſuperiores eſſe videntur, liuori pateant.

Inſpiciamus, obſecro, regnorum capita; ita ſiniſtro oculo ſe inuicem intuentur, vt commune etiam ijs malum videri poſſit. Bolum vnum terræ, potentiæ, & felicitatis ſibi inuident: eò vſque iniquis ſtimulis exagitati, vt centenorum aliquot millium infelicis ſanguinis fluctibus, vnius & alterius vicini felicitatem & potentiam mergere nitantur.

Alienis armis bellare, regna & imperia in ſe mutuò ſcindere, ſubditos in ſuperiores prouocare, in viſceribus alterius bellum alere, vires vtrimque in ſe illidendo frangere, alterius deinde impotentiâ potentiam ſtabilire inuidiæ opus eſt: ſed caliginoſæ; vtpote maioris infamiæ quàm vtilitatis. Quæ enim non turpitudo, vel hanc vel illam domum per Eccleſiæ, hoc eſt domus Dei, ruinas ædificare? communi Catholicorum Matri vim facere, vt fœdo vulneri vnius membri, non dico medicina adferatur, ſed noxia quædam titillatio? veriſſimum illud antiquum eſt, *Quid ſit vtile, ignorat inuidia*: addamus nos, nec quid honeſtum.

Reſtat quod magis mirandum: quis à virtute periculum timeat? inuidia etiam perniciosum optimis telum eſt: & fuit, qui fa-

ctori omnium prioritatem inuideret, qui diceret, *Ponam ſolium meum iuxta ſolium Excelſi, & ero ſimilis Altiſsimo*, fuit, inquam, ſed vt eſſet qui non erat; hoc eſt, vt ex Angelo diabolus, ex beato damnatus, ex pulcherrimo teterrimus fieret. Fuerunt homines, & communes quidem omnium parentes, qui liuore ducti, eſſe ſicut Dij volebant, vt vniuerſum humanum genus ex immortali mortale facerent. Tertius homo, quartum hominem fratrem ſuum, nullà re niſi iuſtitiâ exacerbatus occîdit, vt liuori ſatisfaceret: primus homicida, imò latro factus; maiori detrimento, quod quartam rationalis creaturæ partem vno ictu abſtulerit.

Quid? Dei filium, vt potentiam ſuam oſtẽtaret infelix liuor, non laceſſiuit tantùm: non vituperauit tantùm, non integerrimos mores, vitam ſanctiſſimam, miracula ſincera, damnauit tantùm; ſed deriſum priùs, colaphizatum, flagellatum, ſupremo ſcelere, turpiſſimo omnium tandem ſupplicio ſuſtulit.

Sic viuimus, & quotidianum adhuc hoc malum eſt, bonos inſectamur: nec ſinceritas nec religio apud inuidos gratiam habent. Quicquid agant, quibus inuidetur, licet abſolutiſſima ſint, in deteriorem tamen partem trahimus, imò integritatem & pietatem ſimulationem interpretamur: quicquid ipſi

pro

pro ſimplicitate & innocentia ſua adferunt, nos ijſdem in laqueos detorquemus, vt ſæpiuſculè, quæ præmijs debebamus, exitio compenſemus.

Dum tot autem modis iniqua ſit inuidia, vno æquiſſima eſt: peccamus, & plectimur, expedita iuſtitia: in ſuum enim authorem reciproca eſt; vtpote de bono alterius tabeſcentis animi cruciatus: hinc inuidorum miſerrimum ſtatum, anxium animum, macie cõfecta corpora, inquietos denique mores & ſenſus videmus. Vt optimè mihi Periander dixiſſe videatur: *Quemadmodum ærugo ferrum, ſic inuidia animam illius in quo ineſt, conterit.*

CAPVT XXIII.

Scena Inertium.

SI Chriſtiani ſumus, oportet Creationem, Redemptionem, Cælum, Inferos, Præmia etiam credamus & Supplicia: &, quod mirum eſt, Chriſtiani ſumus, cæterum vitâ, quaſi prædicta non credamus. Vbi continuæ noſtræ, debitæ Deo, pro creatione, redemptione & ſuſtentatione noſtri gratiarum actiones? vbi neceſſaria pro ſalute noſtra merita? vbi mortis, ſuppliciorum & vindictæ horror? priora quaſi vanas titillationes, poſteriora quaſi inania terricu-

lamenta

lamenta ducimus: aut certè non ſecus ac ſi nos iſta non ſpectarent, nihil anxij, ferias agentes, nobis viuimus, quaſi abdomini & commoditati noſtræ geniti ſimus: imò ne nobis quidem, qui non ad vitam noſtram, ſed ad mortem & ſupplicia laboramus.

Vis vitæ noſtræ compendium? ſicut annus in diem & noctem diuiſus eſt; ita anni & circuli noſtri ſpatium in lucem & tenebras, in vigiliam & mortis veram imaginem: medietatem enim vitæ noſtræ ſomnus occupat, reliquum plerumque inertia & torpor. Solem, Lunam oriri & mergi videmus, circumire cælos: vertimur cum tempore, & eodem mox, quo ieramus loco, quieſcimus. Ex anno in annum tranſilimus, ex moribus noſtris nunquam. Adrepit rugosâ facie cana ſenectus, & antiquum obtinemus.

—— *Quæ tanta animis ignauia venit?*

Pudeat: non eſt reuerà ſomno aut inertiæ locus, vbi nos hinc mors terribilis, hinc honeſtas allicit. Quis enim inter magna pericula, magnaque præmia conſopitur? ſi ad iſta reſpiceremus, immobilis eſſet animis vigor, fugeret ſomnus ab oculis cogitantis quãtum nunc etiam reſtet imperfecti, quantum tranſierit otioſi temporis; quod quia non fit, longas ætates effluxiſſe conſpicimus, & ſenes attonitos ac ſtupentes dicere: quid hîc in tot annis

annis egimus? comedimus, bibimus, dormiuimus, ſerò tandem experrecti ſumus.

Sed qui ſerò adhuc ſemel, quot qui nunquam, quot qui vitijs altum ſtertunt, ne ſemel quidem ad Deum vigilantes? quod ſeruile eſt, perpetuum ſomniamus, niſi aduerſitatum flagellis quandoque excitemur: & quemadmodum pueri flagello turbinem rotant; quoaduſque exagitatus turbo in gyrum currit, paululum quieſcēte manu cadit, poſtmodum per ſe immobilis;ſic nos,quamdiu aduerſis verberamur, ſapimus, *Vexatio* enim *dat intellectum*, vbi vel modica quies arriſerit, torpemus ilicò,& torpore & voluptate ineſcati ad illicita deflectimus: ipſi enim rariſſimè nobis flagellum ſumus, ipſi rariſſimè nobis negotium faceſſimus, atque hoc in negotio non eſſe, ita certiſſimum exitium eſt, ſicut in negotio eſſe multorum malorum remedium.

Docent hoc nos magni Imperatores, qui cùm malè parêre militem vident, aliquo labore compeſcunt, & expeditionibus detinent. Nunquam vacat laſciuire diſtrictis: nihilque tam certum eſt,quàm otij vitia negotio diſcuti.

Videt medicinam hanc piger, hinc *Vult & non vult*, vult fugare vitia, ſed non laborare; *Delectant præmia cùm pollicentur, deterrent certamina*

tamina cùm iubentur, inquit Auguſtinus: ad quæ enim imbecilles ſumus, dura atque intoleranda credimus: obliti quàm multis tormentum ſit vino carere, aut primâ luce excitari. Non iſta interim difficilia ſunt naturâ, ſed nos fluidi & enerues.

CAPVT XXIV.

Scena Otioſorum.

Vita mortalium vigilia eſt: in tantum ergò viuimus in quantum vigilamus, in tantum autem vigilamus in quantum aut ingenio aut induſtriâ laboramus. Quàm infelix ergò & abiecta inertia? Somno ſiquidem, torpore & otio frui non viuere eſt, vita enim mortalium vigilia eſt: & placet tamen ſomno, torpore & otio diſſolui vt non vigilemus, hoc eſt, non viuamus. Labuntur ſine fructu nobis tempora, dies & anni, nec amiſſa tempora, dies & annos irreuocabilitate ſuâ pretioſa, damnum exiſtimamus.

Nec infelix tantùm ſed noxia noſtra etiam ignauia eſt: ſi enim *Otium*, vt dixit aliquis, *ſine litteris mors eſt & hominis viui ſepultura*, quis detrimentum iuſtis calculis emetiatur? vide quot millia felicium ingeniorum, infelici otio, ſine cultura, ſterilium inſtar

conſe-

conſeneſcant: vide, quot millia ſine exercitio, ærugine quâdam veluti exedantur: vide quot millia cum admiratione differentes Doctores audiant, longè, niſi otio ſuo diffluerent, ſuperiores & admirabiliores futuri: vide quot millia ab alijs dirigantur, otio tantùm ſuo ipſi non directores. Pueros omninò imitantes: quos vltroneos virgulâ à coæqualibus regi, & ad iubentium voces huc atque illuc impelli ſæpiuſculè videmus, regentium vices acturi vbi voluerint; ſic plurimi mortalium otio tantùm ſuo humiles, abiecti, deſpecti, & fœdâ ſeruitute mancipia ſunt: futuri excelſi, illuſtres, ſpectabiles, & domini, ſi niterentur: vide quot millia *vili* otio languentia in perniciem ſuam ruant.

Cum opificijs ſuis mediocri labore victui, amictui, familiæ, & honeſtati ſufficientes plurimi ſint & liberi, otij tamen & victus gratiâ, militari Sacramento ſe adſtringentes, in ſeruitutem & alienum arbitrium tranſeunt. Auiculis ſimiles puerorum aſſuefactis manibus: vnius enim grani eſcâ prouocatæ, licet elapſæ & liberæ in puerorum tamen poteſtatem reuertuntur: non conſiderantes meliorem & tutiorem eſſe laborioſam libertatem ſpecioſâ & delicatâ ſeruitute.

Vide quot millia inhoneſtæ rei otij gratiâ ſeſe mancipent, decus ſuum inertiæ poſtponentia,

nentia. Vide quot millia ad ſuſtentationem ſui ſufficientia oſtiatim ſtipem quærant, quaſi vilitatem animi ſui, otio & abſurditate ſuâ parandi victus, palam profeſſa: generoſos enim animos labor nutrit.

Et vincimur hac in parte à minutiſſimis animalculis maximis tamen ignauiæ noſtræ reprehenſoribus, ad quæ etiam ſapientiſſimus Regum inertiam noſtram vt inſtruemur Prouerb. 6. ire iuſſit: *Vade ad formicam ô piger,* inquit, *& conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.*

CAPVT XXV.

Scena Simulantium.

VIdes, vt opinor, in quot periculis & difficultatibus verſemur, quàm varijs quidem vitiorum generibus, vno autem ſtultitiæ tenore, vitam traducamus: ſed quod mirabile eſt, cùm omnes hoc ipſum concedant, ita tamen quemque amor ſui decipit, vt nullum horum in ſe regnare admittat: excuſationes quiſque ſuas adfert, & nocentiſſimus quiſque innocentiam ſimulat. Nemo ſe malum aut huic vitio obnoxium concedet: aut ſi aliquo tempore

O concedat,

concedat, mox vbi obieceris, pari facilitate negabit, quaſi aut ab amicitia aut ira alterius ſtet, vt vno tempore verum æquè ac falſum ſit. Ita ſimulamus & noſipſos æquè ac alios decipimus.

Tot annis in mundo vnà viuimus & ita perpetuò noſtra coloramus vt inuicem (licet arctiſſimâ ſocietate coniuncti) non agnoſcamus. Et quid mirum, cùm tot annis noſipſos agnoſcere diſcamus & incaſſum laboremus? Noſipſos non intelligimus, intelligere tamen nos alios iactamus.

Mira res, ridere veriùs reciprocas hominum illuſiones poſſum, quàm explicare: à quibus enim ordiar? quot ferè hominum in mundo eſt, tot laruarum: nihil veri, nihil ſinceri, fucata omnia, colorata omnia: confidere in totum vix vlli mortalium licet. Quæ enim fiducia? audeo dicere inter tot myriadas hominum amicitiam certatim colentium, vix centum (religioſos excipe) verè amicos eſſe: quem enim quiſque ſocium & amicum habet, non integrum habet, in alios enim ſibi amicos diuiſus eſt: hinc cùm vni ſecretum etiam ſub ſigillo veræ amicitiæ credideris, ille occaſione oblatâ, aut confirmandæ cum alio amicitiæ gratiâ, aut reconciliandæ, aut ineundæ, ſub eodem ſigillo commendat alteri: vſque adeò vt ſecretum

ſæpè

ſæpè publicetur, & ipſe publicationis author neſciatur.

Aliorum ruinas in noſtri & commoditatis noſtræ ædificationem vertimus: & ſic in reliquis doloſi, quaſi ad fallaciam geniti eſſemus. Nihil certi promittere nobis à candore hominum poſſumus: adeóque neſcimus ſentiant plerique quod dicunt an ſecus. *Virtutem palam laudant*, inquit Politico-chriſtianus, *remotiſſimi ab ea, amorem loquuntur qui odia intus non moritura fouent. Spondent operam prodigè nec fidè: latet plerumq; in diuite ſponſione dolus. Equum Troyanum cogita, Deæ donum, ſed vtero armatis grauidum. Oſtentant deinde ſe velle, quod nolunt; nolle, quod volunt; ambire, quod auerſantur; auerſari, quod ambiunt. Damnant improbos, ipſi improbiſſimi: laudant probos, probitatis ignari: pietatem vultu præferunt, omnis impietatis ſerui*, ſic vt modò quomodo cum hominibus agas, ipſe neſcias.

Adijciam hic Politici cuiuſdam Wenceſlai de Woruſchiaua hæretici Epiſtolæ ſecretæ, belli Bohemici Principio ſcriptæ, paragraphum vnum, vt ſinceritatem aduertas modernam. *Hæc ſunt*, inquit, *quæ Politicum decent perpendere, non modò quid agendum vel omittendum ſit, ſed etiam quid ſimulandum. Totus mundus fuco vtitur, cum vulpibus vulpinandum eſt. Pueri nucibus, viri iuramentis fallendi ſunt.*

Nec infame eſt violâſſe iuriſiurandi religionem. Fecerunt hoc noſtri Principes: nos chariores habebunt, ſi non modò pro eis patiamur, & belligeremus, ſed etiam peieremus. Dum crepundia vendunt inſtitores veſtri, ſimulant, mentiuntur, pro aſſe peierant, & nos id non faciemus pro regnis & arcibus? faciemus, & quidem libenter.

Quid videtur? quid cum talibus agendum, quando cum eis viuendum? conuiuendum autem neceſſariò, cùm inueniantur qui iiſdem veſtigijs inſiſtant, componantque omnia vt imponant. Expedire nos, etiamſi prudentiſſimi, ab eorum retibus vix poſſumus, cum adeò tectè omnia faciant vt aut Ædipo aut Argo opus ſit. Clam oderunt, detrahunt, calumniantur, machinantur caſus tibi & ruinas. & tamen ſi

—— Rides maiore cachinno,
Concutitur, flet, ſi lachrymas conſpexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit endromidem: ſi dixeris, æſtuo, ſudat.

Mira ſimulatio, deterior quò rectior. Ego etiamſi eorum technas omninò vitare non poſſim, cum Homero

Exoſus tamen ille mihi, veluti inferni portæ,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus,
aliud verò ore profert.

CAP.

CAPVT XXVI.

Scena Adulatorum.

BOnum eſt laudari, ſed præſtantius, eſſe laudabilem: ſed ita compoſiti ſumus, vt quamuis laudabiles non ſimus, laudari tamen amemus. Hanc naturæ noſtræ ægritudinem humanum genus aduertens, imbecillitati mutuæ ſe accommodauit; vt non in laudationem tantùm, ſed adulationem eruperit; vt corruptæ mentes non veritate tantùm, ſed etiam falſitate foueantur: vt illuſionibus fallamus inuicem & fallamur. Vbi veritas locum non habet, ſibi falſitas facit: quam licet videamus, non ſecus tamen ac ſinceritati auſcultamus, & titillamur oratione in laudem noſtri directâ, contraria etiam moribus noſtris afferente: atque hinc

Eſt, quod adulandi gens prudentiſsima laudet
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquet
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.
Miretur vocem anguſtam, quâ deterius nec
Ille ſonet, quo mordetur gallina marito.

In hac arte licet plerique verſati ſimus, excellunt tamen vt plurimùm, Principum la-

terales, Palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falſitatis. Vide quomodo Prælatorum auribus puluinaria laudum ſubijciant: quàm obſequioſi, ſeruiles & humiles ſint: quomodo ab eorum pallijs aut fictitium puluerem excutiant, aut veſtem fictitiè deplument implumem: quomodo magniloquâ commendationis tubâ, in Principum ſuorum auribus citharizent: quomodo medicæ adulationis fauos foras eructent: quomodo vt emungant munera, capita oleo adulationis inungant: quomodo nobilitatem, pulchritudinem, proſapiam, virtutem, facinora, diuitias, vires, potentiam, felicitatem eorum extollant: quomodo ingenium, memoriam, prudentiam, & doctrinam prædicent: quomodo probâ vitâ & moribus, facilitate, liberalitate, iuſtitiâ, clementiâ & ſimilibus, maximis & optimis Principibus aut æquent aut anteponant, verò an falſò, parum curantes, dummodo placeant, placent autem quia naturæ eorum iam notæ inclinationi ſe accommodant: naturali enim ducimur malo, vt adulatoribus noſtris libenter faueamus, & quamquam reſpondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam anima intrinſecus lætatur: ſed quàm ſuauiter ſæpè, tam perniciosè: non perpendunt enim venena non

dari

dari niſi melle circumlita. Quot ſunt qui cum Iuda oſculo filium hominis tradunt? quot qui plauſibilibus magis quàm ſalutaribus conſilijs, verbis & orationibus Principes, prouincias & regna euertunt? quot qui hoſtium vires extenuantes, & Principis ſui euehentes, incautos temerariè in exitium præcipitant? ſalubria non promunt ne vera, nec vera ne pereant, imò vt pereant, & ſe & Principem, & Rempublicam totam ſecum conuoluant. Tanto odio eſt ſalubris veritas, & tam plauſibilis, pernicioſa & inutilis falſitas: adeòque huius rei inopiâ laborant magna faſtigia, & hoc omnia poſſidentibus deeſt, quod neminem ſcilicet habeant qui aut verum dicat, aut dicere audeat: vnde omnium vna contentio eſt, quis blandiſſimè fallat: vt quæ familiariſſima regibus eſſe debebat veritas, vt tuti eſſent, rariſſima ſit, vt in periculo verſentur & fluctuent.

Optimè hac de re & vrbanè Vrbanus VIII. Summus Pontifex ſummus Poëta: vt tantum faſtigium tanta doctrina non elicuiſſe ſolum ſed extorſiſſe videatur. Loquere culmen, audite culmina:

Cui ſenſa mentis prouidus abdita
Rex credat? aut quos cauerit? omnium
Sincera, ſeu fallax, eodem
Obſequio tegitur voluntas.

terales, Palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falſitatis. Vide quomodo Prælatorum auribus puluinaria laudum ſubijciant: quàm obſequioſi, ſeruiles & humiles ſint: quomodo ab eorum pallijs aut fictitium puluerem excutiant, aut veſtem fictitiè deplument implumem: quomodo magniloquâ commendationis tubâ, in Principum ſuorum auribus citharizent: quomodo medicæ adulationis fauos foras eructent: quomodo vt emungant munera, capita oleo adulationis inungant: quomodo nobilitatem, pulchritudinem, proſapiam, virtutem, facinora, diuitias, vires, potentiam, felicitatem eorum extollant: quomodo ingenium, memoriam, prudentiam, & doctrinam prædicent: quomodo probâ vitâ & moribus, facilitate, liberalitate, iuſtitiâ, clementiâ & ſimilibus, maximis & optimis Principibus aut æquent aut anteponant, verò an falſò, parum curantes, dummodo placeant, placent autem quia naturæ eorum iam notæ inclinationi ſe accommodant: naturali enim ducimur malo, vt adulatoribus noſtris libenter faueamus, & quamquam reſpondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam anima intrinſecus lætatur: ſed quàm ſuauiter ſæpè, tam perniciosè: non perpendunt enim venena non

dari

dari niſi melle circumlita. Quot ſunt qui cum Iuda oſculo filium hominis tradunt? quot qui plauſibilibus magis quàm ſalutaribus conſilijs, verbis & orationibus Principes, prouincias & regna euertunt? quot qui hoſtium vires extenuantes, & Principis ſui euehentes, incautos temerariè in exitium præcipitant? ſalubria non promunt nẹ vera, nec vera ne pereant, imò vt pereant, & ſe & Principem, & Rempublicam totam ſecum conuoluant. Tanto odio eſt ſalubris veritas, & tam plauſibilis, pernicioſa & inutilis falſitas: adeóque huius rei inopiâ laborant magna faſtigia, & hoc omnia poſſidentibus deeſt, quod neminem ſcilicet habeant qui aut verum dicat, aut dicere audeat: vnde omnium vna contentio eſt, quis blandiſſimè fallat: vt quæ familiariſſima regibus eſſe debebat veritas, vt tuti eſſent, rariſſima ſit, vt in periculo verſentur & fluctuent.

Optimè hac de re & vrbanè Vrbanus VIII. Summus Pontifex ſummus Poëta: vt tantum faſtigium tanta doctrina non elicuiſſe ſolum ſed extorſiſſe videatur. Loquere culmen, audite culmina:

Cui ſenſa mentis prouidus abdita
Rex credat? aut quos cauerit? omnium
Sincera, ſeu fallax, eodem
Obſequio tegitur voluntas.

Fugit potentum limina veritas,
Quanquam ſalutis nuntia: nauſeam
Inuiſa proritat, vel iram.
Sæpè magis iuuat hoſtis hoſtem.
Ictus ſagittâ Rex Macedo, videt
Non eſſe prolem ſe Iouis. Irritâ
Xerxem tumentem ſpe, trecentis
Thermopylæ cohibent Sariſſis;
Docentq́; fractum clade, quid Aulici
Sint verba plauſus. Vt nocet, vt placet
Stillans adulatrix latenti
Lingua fauos madidos veneno!
Hæc in theatri puluere barbarum,
Infecit atro ſanguine Commodum.
Probriſq́; fœdauit Neronem, ac
Perdidit illecebris vtrumque.
Artes nocendi mille tegit dolis
Imbuta. Quis tam Lynceus aſpicit
Quid vitet? intentus canentis
Mercurij numeris ſopore
Centena claudens lumina, ſenſibus
Abreptus, aures dum vacuas melos
Demulcet, exemplum peremptus
Exitij graue præbet Argus.

Quis elegantius? quis doctius? ego quod vltra loquar non habeo.

CAP.

CAPVT XXVII.

Scena Fortunæ, In qua & æterni Numinis prouidentiam agnoſcimus.

VIdimus vitioſorum Scenam imò & vitiorum, vidimus ludentium pariter & illudentium: reſtat vt colludentis, & omni ætati illudentis Fortunæ effigiem videamus: hoc eſt, caſus ſine remedio: vitia enim vitare poſſumus, Fortunam non poſſumus: in regnum enim eius durum atque inuictum peruenimus, non noſtro ſed illius arbitrio digna atque indigna paſſuri: quippe nullus valet aduerſus Fortunam clypeus: cùm etiam nos noſtris armis, noſtrâ prudentiâ, noſtrâ aſtutiâ, & omnibus quæ ad tutelam noſtri aliàs ſalutaria inuenimus, in exitium noſtrum præcipitet, vt neceſſariò cum Cleanthe dicere oporteat:

Duco parens celſiq; dominator Poli,
Quocunque placuit. Nulla parendi mora eſt.
Aſſum impiger. Fac nolle: comitabor gemens
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Maluſq; patiar, quod pati licuit bono.

Ab ipſo humanæ vitæ & pariter doloris auſpicio ludum eius auſpicabor: vt oportet, vtpote quæ ab vtero etiam materno, imperij ſui exordium ſumat: & quanta tunc conditionum varietas eſt, tanta Fortunæ. Alios ad coronas, diademata, & ſceptra genuit, alios ad ſtipem: alios potentes & diuites, alios pauperes: alios excelſos, alios humiles: alios nobiles, alios vulgares: alios dominos, alios ſeruos & mancipia: alios ad labores, alios ad delitias: alios ad abundantiam, alios ad penuriam: alios ciues, alios agricolas: alios ingenio & memoriâ illuſtres, alios ſtupiditate & obliuione infimos: alios pulchritudine & aptis lineamentis conſpicuos, alios deformitate deſpectos: alios integro corpore, alios mutilo: alios perfectos, alios monſtra: ſine merito cuiuſque ac demerito vt quantâ diuerſitate & conditione maturiores plerumque videris, tanta à natiuitatis exordio Fortuna diſtinxerit.

Corporibus deinde noſtris impotenter & contumelioſè abutitur, alios ignibus peruret, vel in pœnam admotis vel in remedium: alios nudos mari iactabit, & luctatos cùm fluctibus, ne in harenam quidem aut littus explodet, ſed in alicuius ventrem immenſæ belluæ detrudet: alios varijs morborum generibus emaceratos diu inter vitam

tam mortemque detinebit. Vt varia & libidinoſa mancipiorumque ſuorum negligens domina & pœnis & muneribus errabit.

Ita deinde imbecille corpus nobis aptauit, vt nuſquam tuti nuſquam ſine periculo ſimus: poteſtas enim maior abſit, latro & hoſtis poteſt admouere iugulo noſtro gladium. Nemo non ſeruus habet in nos vitæ neciſque arbitrium, quiſquis vitam ſuam contemnit, noſtræ Dominus eſt. Alij domeſticis inſidijs pereunt, alij apertâ vi & dolo: alij infantes, alij pueri, alij adoleſcentes, pauci viri, pauciores ſenes.

Si quibuſdam proſperitatis gradibus ad opes, dignitates & ſimilia aſcendere placeat, patitur ſæpiuſculè, ſed eâ lege ne cùm ludicri eius ratio poſtulat, deſcendere iniuriam putemus. Nulli faſtigio aut tranquillitati licet confidere: neminem enim eò Fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur quantum permiſerat. Momento mare vertitur, eodem die vbi luſerunt nauigia, ſorbentur. Circumſpice iam ab ortu ſui orbem totum. Vide quàm paucorum vota expleuerit Fortuna, ſemper pendula, dubia, fallax, fatua.

Cyrus primus Perſarum Monarcha, ne ignominia & ludibrium etiam deeſſet, à fœmina cæſus, decollatus. Creſus qui felicem ſe credebat, dum potentem ſe videbat, impotens

tens factus, exurendus flammæ deſtinatur. Aman vbi ſummo in craſtinum honore afficiendum ſibi blandiebatur; quod Mardochæo parauerat, patibulo ſuffixus eſt. Dionyſius Siciliæ Rex, pulſus regno, à Locrenſibus receptus, dolo regnum inuadens, mox iiſdem imperauit: iterùm pulſus, denuò Siciliæ regnum adeptus eſt: tertiò pulſus, Corinthi tandem Ludimagiſtrum egit.

Quid magno maius? ——

Cneus ille Pompeius, ille magnus: Italiæ ſub Sylla recuperator, Siciliæ receptor, Domitij & Iarbæ, Numidarum potentiſſimi Regis, debellator, Sertorij in Hiſpania victor, Perpennæ euerſor, Piratarum delector, Mitridatis, Tygranis & triginta duorum Regum expugnator, Aſiæ totius terror, orbis vniuerſi triumphator: quo celſiorem neminem vnquam meo iudicio aut fuiſſe aut futurum putem.

—— *Tamen ille rogauit,*

Vnâ acie, vnius non virtute ſed Fortunâ victus,

Summiſſâ fugiens voce clientis opem.
Cuiq; viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus eſt factus omnibus ille magis.

Pupillus & ſpado de illius capite tulêre ſententiam: & occiſus aliquamdiu iacuit inhumatus: *In tantum in illo viro diſcordante*

Fortunâ,

Fortunâ, vt ait Gellius, *vt cui ad victoriam terra deſuerat, deeſſet ad ſepulturam.*

Ille Iugurthino clarus Cymbroq; triumpho,
Quo victrix toties Conſule Roma fuit.
In cœno Marius iacuit, cannáque palluſtri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

Inopem vitam in tugurio Carthaginenſium tolerauit; cùm Marius aſpiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri poſſent eſſe ſolatio. Seianus à toto terrarum orbe ſupra Tiberium Imperatorem adoratus, ſub ſpecie maioris dignitatis ad Capitolium vocatus: vbi honores & titulos meditatur, occiſus eſt, & filia à lictoribus deflorata priùs quàm trucidata.

Sed quo occidit crimine? quiſnam
Delator? quibus indicijs? quo teſte probauit?
Nil horum. Verboſa & grandis epiſtola venit
A Capreis. Benè habet nil amplius interrogo.

Ruffinus ſub Arcadio, eodem momento, quo imperium ſperat, non vno vulnere animam efflauit. Baiaſetes Turcarum Imperator, Chriſtianorum terror, ab obſidione Conſtantinopolis, aduerſus Tamerlanum Tartarum, imperij ſui prouincias expugnantem, profectus, commiſſo prælio ſuperatus, captus: caueæ ferreæ incluſus, per ludibrium è loco in locum tranſlatus, Aſiæ vniuerſæ ſpectaculo fuit: Aſcenſuro equum Tamer-

lano

lano tergum præbuit: vt ignominiâ tandem & contumeliâ ſe liberaret, caueæ caput illidens, vitæ pariter & Fortunæ ſibi finem fecit.

Vt innumeros alios prætercam, ad pręſens ſæculum & vnam Germaniam calamum verto. Quæ non à decem proximè præteritis annis Fortunæ diuerſitas? Modernus Imperator Ferdinandus Secundus vir ita pius, ita probus, vt ſi conqueri de Fortuna liceat, tam noxijs eiuſdem ſpiculis eum vexari iniuriam iudicē. Pericula ſimul cum imperio ſumpſit, imò clades, vix vnâ Viennâ in obſequio ſtante derelictus hoſtibus videbatur: reſpirare tamen iterùm cœpit, imò vincere & debellare. A Daniæ Rege deinde impugnatus, Fortunæ minas potiùs quàm clades ſenſit. A Sueciæ Rege victus iterùm, tantùm non debellatus, vix habuit vnde reſiſteret. Vbi hoſtium deinde formidinem poſuiſſe videbatur, à ſuis ſumpſit: à perfido Wallenſtenio exercitus ſui Generaliſſimo, cui imperium ſuum & vitam crediderat, ijſdem ferè exutus, diuinâ potiùs quàm humanâ ope ſtetit. Nordlingenſi denique prælio imperium fluctuans proſperiore iam Fortunâ ſtabiliuit, vt de præſentibus nobis gratulemur, reliqua ſperare quidem, iactare non poſſimus.

Buquoius, Tillius, Papeheimius fortiſſimi Cæſaris

Cæſaris Generales, quorum virtus digniores calamos expectat, Fortunam quam matrem opinabantur, nouercam tandem experti ſunt.

Fredericus Palatinus, Cæſaris æmulus, Proteſtantium opibus vndique ſuffultus: ſubitò victus, fugatus, debellatus, Moguntiæ tandem inglorius obijt.

Rex Daniæ pulcherrimo exercitu & Proteſtantium fauore fretus, dum multa & magna molitur, prælijs aliquot fractus, longâ pace collectas opes amiſit.

Guſtauus Adolphus Suecorum Rex, Probatiſſimus miles, victor in Liuonia, Pruſſia, Polonia, ac demum in Germania, continuis victorijs elatus, dum orbis imperium meditatur, in Luzenſi prælio cecidit.

Wallenſtenius è Barone Comes è Comite Dux, diuerſarum Prouinciarum Dominus, Auſtriacæ domus in abſolutiſſima forma Generaliſſimus, quæ Fortuna nulli retrò contigerat, perfidiâ tamen adhuc quàm felicitate maior: dum per opum & dignitatum ſuarum collatoris ruinas, erigere ſe ad diadema Bohemiæ & ſceptrum parat, trucidatur; ſimario curru ignominiosè hodie vehitur, ad cuius heri nutum integri exercitus, magni Principes, multæ Prouinciæ, innumeri populi excubabant; ſæculi huius & inſequen-

tium

tium futurus fabula. Adeóque veriſſimum eſt quod Boëtius:

Quicquid præcipiti viâ
Certum deſerit ordinem,
Lætum non habet exitum:

Et vt Euripedes: ſi qua

Felicitas, non firma, ſed dialis eſt.

E Germania ſuperiori in Belgium deſcendamus, anni ſuperioris, omnibus ſæculis obſtupeſcendam Fortunæ Cataſtrophen inſpecturi. Superis fauentibus per tot maris terræ que ſpatia, pericula, difficultates: per Italiam amicam & fauentem cum honore, per Germaniam inimicam & rebellem cum victoria, in Belgium, quaſi ſuum, cum triumpho venerat Fortiſſimus æquè ac Illuſtriſſimus Ferdinandus Auſtriacus, Cardinalis, Infans Hiſpaniarum, fidis Regi ſuo Prouincijs, futurus caput.

Et iam ſub maximi optimique Principis Maieſtate, ſub æquiſſimi fortiſſimiq; Gubernatoris & militis tutela veluti ſcuto, ſub prudentiſſimæ cum grauitate & facilitate quadam moderationis vmbra populi iugiter requieſcebant.

Non tulit inſolitam hanc in Belgicas Prouincias optimumque Principem Fortuna ſuperum indulgentiam, iam olim integerrimos quoſque conſueta laceſſere: itaque & à Meridie Chaſtillonius & Breſæus, & à Septentrione

Auraicus Batauique magnis viribus vetera- ſio milite, numeroſis exercitibus, ſummoque apparatu veniebant.

Et initia ſtatim hoſtibus proſpera fuerunt: à Francis ſiquidem (qui tanquam obex obie- ctus erat) diſruptus diſſipatuſque eſt Hiſpa- nicarum copiarum nuo eu •

Inde coniuncti duo magni exercitus vno animo, vno conſilio, vnoque impetu ambi- tione iam dudum (ſed præproperè) deuoratas introiere Prouincias. Ceſſit numerofitati ho- ſtium, ceſſit ferociæ, ceſſit aduerſantis Fortunæ iaculis Ferdinandus, relictiſque prim is caſtris, ſub ipſis Louanienſibus portis ſecun- dis conſedit: tandemque (traducto alteram in partem vrbis exercitu) tertijs ſeſe com- muniuit.

Interim hoſtes in vnas Thenas totis viri- bus ferebantur, & illæ quidem (licet paciſ- ci volentes) plus quam Saguntina rabie de- letæ ſunt: tam fæda clade, vt miles, arma, furor, crudelitas, libido, ſacrilegia, & in vno compendio vniuerſa flagitia in exi- tium vnius infelicis oppidi conſpiraſſe vi- deantur.

Progrediuntur deinde luxuria eneruati (nihil enim vltra valuerunt) ſceleribuſque ſuis iam debellati exercitus, vbique barba- riæ ſuæ inſolentiæque relinquentes veſtigia:

& iam omen erat non fore ipſorum Prouincias, quas non vt ſuas, ſed tanquam perpetuo manſuras hoſtiles tam miſerè deuaſtarent.

At quatuor pontibus vnita dilia, in vlteriorem ripam, vix ſentiente Cardinale, iam euaſerant: relicto itaque Louanij ſufficienti præſidio Viluordiam inter & Bruxellas quartis caſtris conceſſit. Relictum Louanium, ſicut Thr æ, hoſtibus videbatur: placuit ergo hanc inuadere, ne quid hoſtile à tergo relinqueretur.

Hic paulum circumacta fortuna eſt: vndecim enim diebus incaſſum obſidione conſumptis; & fame, & recentibus (quæ ex Germania ad Principem Cardinalem deſcenderant) Hiſpanorum ſubſidijs premebantur.

Igitur & Auraicus, & Caſtillonius, & Briſæus, quibus paulò antè vrbes ambitione patebant, Prouinciæ deditionem ambitione faciebant, cum quibus populi ambitione paciſcebantur, qui magnas regiones ambitione diuiſerant, qui Ferdinando Auſtriaco, Regis Hiſpaniarum ſummique Monarchæ fratri, multis ſcommatibus inſoléter illuſerant, quibus nulli, niſi cælo venturi, hoſtes nexij fore videbantur; iam ſilentio noctis conuaſatis omnibus, citra Diliam feſtinatis agminibus retrocedebant.

Et Ferdinandus ille paulò antè quaſi deſolatus, quaſi fugatus, toties irriſus & illuſus, tot indignis dicterijs ſcōmatibuſq́; laceratus, è latebris ad victoriam exurgit, ipſoſque hoſtes quaſi pecora ex alienis paſcuis vltra Moſam abigebat.

Nec ſtetit hic Fortunæ diuerſitas, ſentire damna Batau debebant quæ Brabantis intulerant :itaque propugnaculum Schenkianum, inuicta munitio (nihil tale metuentibus hoſtibus) quaſi momento capta eſt, & ſtatim in Bataujam Cliuiamque meam (prô dolor) vis omnis deflexit, & Batauiam ſuam depopulantes Batauí, exitium ipſi ſuum facti ſunt.

Princeps autem Cardinalis prouiſo ſatis diuque propugnaculo, cum honore & triumpho in Brabantiam, iam iterum ſuam, tandem reuectus eſt. O quantam rerum Volubilitatem! ſed hæc Fortunæ conſtantia eſt, conſtantiam nullam pati.

Eadem quæ magnos principes: eadem aulicos, eadem nobiles, eadem omne humanum genus Fortuna affligit. Priores quantumcumque excelſi ſint & ſublimes, vnâ dominorum ſuorum offenſiunculâ, vnius voculæ leuiter excidentis mordacitate, leui aliqua ignauia aut ſuſpicione, mox expurpurati, exſericati, non dico miſerè inter-

dum viuunt, ſed victimæ fiunt. Poſteriores vt ſtatu ſuo, opibus ſuis, omniq́ue ſubſtantiâ excidant, verbo, vt miſeri fiant; non niſi verâ bellicâ expeditione, nimium dico, vno tantum militari incurſu indigent. Vnius Germaniæ modo metamorphoſin inſpiciamus, & innumerabilium ruina in nobis Fortunę volubilitatē ædificabit. Exulant magni Principes quibus alimenta precariò ſubminiſtrantur. Nobiles, Mercatores, Ciues, Agricolæ, promiſcuè panem quærunt. Eorum diuitiæ in rapacium militum deuenere manus: minus illinc quā apud alios tutæ. Ad hoſtes & amicos errant: ſæpè eâdem horâ, quâ felices reddidit, Fortuna deſtituit: quâ aurum & argentum fuderat, mox iiſdem & inſuper vitâ multat: eodem ſæpè quo dederat momento pecunias non in delitias ſed exitium vertit. Tanto detrimento eorum in quos deuenerunt prehenduntur. Quomodocumque milites agant, quibuſcumque diſponant: quantâcumque audaciâ fortitudine, parta ſint, indubiè ſemper in victorum manus tranſeunt: transferendæ mox, vbi ſuperiores iterum fuerint. Adeo nulli cui fortuna feliciter ceſſit, gaudium raptus durat in poſterum. Vt vis etiam & belli à deo palatio abſit, quam facilè ſcintilla ignis caſu lapſa, quam facilè lumen minus cuſtoditum,

dirum, quàm facile paulo atius ſparſa ſcintilla. prunæ, fauillæ q[illegible] facilè fulminis ictu (à quo nihil tutum) tecta noſtra, domus noſtræ, ſupellectilia noſtra & res vt plurimum familiares vniuerſæ abſumuntur: quam facilè maris, fluuij vnius aut riui inundatio, fertiles agros in ſterilitatem vertit, ædes & pagos deſtruit, iumenta & homines momento mergit? non ſunt longè petenda exempla, quis ignorat non ita pridem propè Dordracum in Hollandia ſeptuaginta: Et propè Battonis turrim cum quibuſdam oppidulis 404. pagos cum iumentis & hominibus vndis & arenæ inſepultos? vbi iumenta paſcebantur & homines, vſque in hodiernum diem nauigia ludunt. Operiuntur fluctibus quæ procul à conſpectu maris iacent. Quidquid longa ſeries annorum multis laboribus, multâ Deum indulgentia ſtruxit, id vnus dies ſpargit ac diſſipat: incrementa lentè exeunt feſtinatur in damnum. Hoc quam certum eſt tam probatum. Ante paucos annos Iaponum Tyrannus Taicum Ven, legatos Regis Chynarum magno apparatu excepturus trecentorum aut quadringentorum artificum millium operâ, arcus triumphales, porticus, palatia, in omne, v[illegible] pu aba æuum ſtruxerat: regia Chynarum quæ multis ſæculis ſteterat: theſauri magni Mogoris, Re-

 gis

gis Cambaiæ & multorum aliorum euerſoris, continuis victoriarum ſpolijs in Lahore vrbe regiâ collecti: non dico vno anno, vno menſe, nec vnâ hebdomade; ſed vnâ die perierunt. Prioris, cineribus cælo lapſis & tempeſtatibus conuulſa ſunt opera: poſteriorum ignibus abſumpta. Et quid eſt quod non Fortuna, cum voluit, & florentiſſimo detrahat? quod non eo magis aggrediatur & quatiat quo ſpecioſius fulget? quid illi arduum, quidue difficile eſt? nullum tempus ab eius plagis exceptum eſt. In ipſis voluptatibus cauſæ doloris oriuntur: auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt: & ſine hoſte quidem patimur hoſtilia. Et cladis cauſas, ſi aliæ deficiunt, nimia ſibi felicitas inuenit. Nihil priuatim, nihil publicè ſtabile eſt. Tam vrbium quam hominum fata voluuntur, quæ domeſticis bellis ſteterant regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. Quota quæque felicitatem ciuitas pertulit?

Humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro diuitijs tumulos oſtendit auorum.
Clara fuit Sparta, magnæ viguere Mycenæ
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile ſolum Spartæ eſt, altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid ſunt niſi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ reſtant niſi nomen Athenæ?

Cicero, nullam gentem intra decem millia an-

lia annorum vrbe ſua porituram putabat; quæ tamen poſt pauca ſæcula non tantum iugum barbarorum ſubijt ſed etiam

Qui collapſa videt veteris veſtigia Romæ
Ille poteſt meritò dicere, Roma fuit.

Quantus numerus, vrbium ampliſſimarum viguit aliquando, quarum memoriam nullam habemus? & de quam multarum, quarum nuda nomina relicta ſunt, veſtigijs & locis modo diſceptamus?

Mortale eſt omnium mortalium bonum.

Verè hoc Metrodorus. Quis Magdeburgum inſequentibus ſeculis non ſpopondiſſet? antè quatuor annos dum in ſummo vigore eſt, dum potens & inclita, momento cecidit; vt domorum & mænium loca vix agnoſcamus. Et crede mihi: omnium iſtarum ciuitatum quas nunc magnificas & nobiles audis, veſtigia quoque tempus eradet. Enumerare omnium fatorum vias longum eſt: hoc vnu ſcio, non nos mortales tantum, ſed omnium mortalium opera mortalitate damnata ſunt. Ipſi varijs caſibus & pereuntes & perituri inter peritura viuimus.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.

CAPVT XXVIII.

Scena Senectutis.

PEr tot infirmitates interim rerumque viciſſitudines quibus innati ſumus, proficimus, adoleſcimus, matureſcimus, ad ſenium per paucos circuitus annorum indulgentius quam verius hominem duco: non quaſi ad felicitatem aut quietem, ſed vlteriorem miſeriam, ad morbum inſanabilem: non ad fractam quidem, ſed laſſam ætatem: quæ glorioſum apud pleroſque nihil habet præter rugas, læti autem omnino nihil, triſtitiæ plurimum: ſibi & omnibus grauem, ſemper queſtulam, ſemper ad adoleſcentiam ſuam prouocantem. Benè Horatius:

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor caſtigatorq; minorum,

Conuenienter Cornelius Gallus:

Laudat præteritos, præſentes deſpicit annos:
Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo.

Nec queruli tantum ſenes & loquaces, ſed & moroſi anxij, iracundi, difficiles. Vix aliquid ipſis cum gratia feceris, cum reprehenſione & increpatione pleraque. Sanitatem iuniorum bonam diſpoſitionem, agilitatem, loquelam, iucunditatem pati non poſſunt:

poſſunt. Si iuſtiſſimis etiam cauſis ebullientem riſum non teneamus, contemni ſe putant, deſpici, illudi; verbo, vt vetus dictum habet, *à laſſo rixa quæritur*. Et deinde.

Grandibus accedunt tempore damna malis:

Vt non tantum veterum morborum reliquiæ, ſenectutem noſtram exagitent, ſed nouorum varia vndique agmina inſurgant. Quicquid à pueritia, adoleſcentia, iuuentute, inconuenientiæ collectum eſt, iam prodit: & morborum tam variæ ſpecies debile & exangue corpus concutiunt, vt conformia ijs nomina non agnoſcamus. Nunc de capite, nunc de ventre, aut de pectore, aut de faucibus querimur: alias nerui nos, alias pedes vexant.

Ille humero, hic lumbis, hic coxâ debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luſcis inuidet, huius
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.

Hinc atque illinc tentamur atque expellimur. Quocunque autem ſe noſtra ſenectus mouet, infirmitatis ſuæ admonetur: non omne cælum fert, aquarum nouitatibus, flatuque non familiaris auræ, & tenuiſſimis cauſis atque offenſionibus morbida eſt.

Nec vires tantum, ſed ſenſus omnes deficiunt.

Nam neque vini atque cibi, torpente palato gaudia.

Obſcuri & caliginoſi oculi, infirmus aut nullus olfactus, difficilis loquela, parum intelligibilia verba. Nec brachia nec pedes in officio ſunt:

— *Clamore opus eſt, vt ſentiat auris,*
Quem dicat veniſſe puer, quot nunciet horas.

Quam infirma, tam odioſa; familiaribus, conſanguineis, prolique adeò ipſi æquè ac ignotis ingrata. Inuidetur iam ſpiritus qui ægrè trahitur. Pauci ipſi ad manum, & ſi qui ſint, certè amplius reliquijs opum quam illi inuigilatur. Vidimus pueros non infrequenter tempus mactationis inquirere: inuiſus illorum bos oculis eſt, per caſum ipſius talos expectant & oſſa; ſic iſti inuiſorum ſenum caſui perpetuo excubant, vt per eorum ruinas ad opes tandē tranſeant. Et mirum, ætas hæc, quo rarior, inuiſa magis & contemptior eſt: quam cuncti ſperant, omnes ſpernunt: & quo ſummis omnium votis peruenitur, maxima omnium & ſui ipſius moleſtia poſſidetur.

CAP.

CAPVT XXIX.

Scena Mortis.

ADrepit tandem

Pallida Mors æquo pede pulſans pauperum tabernas Regumq́ turres.

Quam contemnere facilius eſt quàm effugere. Multæ Myriades hominum præceſſerunt, reliquæ ſubſequentur. Regula hæc exceptionem nullam patitur. Viam illam omnis iſta quæ in foris litigat, in theatris deſidet, in templis precatur turba, quæ militiam ſequitur, quæ pagos, quæ vrbes habitat, diſpari pariq́ue gradu ambulat: videmus,

Hunc viuere, illum præmori,

& ſingulis ferè ſæculis reuiuiſcere orbem & mori. Nemo non à mundi incunabilis vſque huc ex tot myriadibus hominum hunc vitæ terminum attigit: vnus altero paulò quidem citius, omnes æquè certè, æquè illibenter. Tam decoctæ ætati, quam adoleſcentiæ mors grauis eſt: trepidant, gemunt, eiulantur, nec ceſſant

Deſlere, ſuſtinere quæ nati ſumus.

Cum omni vitâ tamen futuram præſumpſerint: cum contiguos ſe ſepulchro ſciant, ad hoc omni vitâ per quotidianas mortes præparat

parati: cum quod in iuuentute poterant, iam debeant ſuo re ſtatum:

— *Neceſſum eſt enim,*

Vt ſp ca quæ maturuit, vitam meti;

hinc ad ruinam tempeſtate non magna opus eſt: ad eam enim ſenio tracti vitro deuoluuntur: & ut

Pulſu leui cadunt vetuſta corpora;

ſic modica imbecillitate ad pauculos dies languidi, ſæpè ad vnum, ſæpè ne infirmi quidem, opinione citius ponunt animam, quæ rapi olim poterat.

Et hic finis eſt contempti iſtius animalculi, quod tantos ſæpè tumultus mouet: quod in tantas cogitationes oblitum conditionis ſuæ venit: quod immortalia & æterna volutat animo: quod in nepotes prænepoteſque diſponit. Quod tanti ſe æſtimauerat, iam ſpretum pleri que caſu ſuo lætitiam facit, paucis dolorem, & hunc quidem dubium, ad eſtem ſæpius quam veritatem. Truncus ipſe odio eſt, in tertium diem, & vilis & fœtidus. Feſtinatur ergò ad ſepulchrum: & actor ille, qui gremio materno tanquam cortinâ egreſſus, per paucos annorum circuitus in orbis theatro *Scenam* ſuam egerat, inſepultus humo, terræ communis parentis gremio tanquam cortina recipitur, & vi â affectus, memoria, fauor. Status animæ eius, ſalutis aut

damna-

damnationis, prelium etiam & hæredum parua æſtimatio eſt: maior de opibus cura. à cadauere, à ſepulchro, pleniori affectu ad arcam migratur: & ſi quid ſenili parſimoniâ diuitiarum collectum, iuuenili profuſione in ore omnium conſumitur.

Poſt vnum deinde ad ſummum ſæculum tam alta noſtri obliuio eſt, vt fuiſſe aliquando nos homines nemo ſciat. Iure ergò in Epitaphio ſuo Iuſtus Lipſius:

Tu altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, aura, vanitas,
Et SCENÆ *imago. Verbo, vt abſoluam, nihil.*

FINIS.

CEN-

CENSVRA.

EVERARDI WASSENBERGII *Humanæ Vitæ Scenam*, vt multa, nec indoctè, nec ineleganter dicta, nec quidquam Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus contrarium continentem, Prælo dignam cenſui. 28. Martij, 1636.

ALEXANDER VANDER LAEN *S. Th. L. Canonicus & Archipresbyter Mechlinienſis*, *Libror. Cenſor.*

CATA-

CATALOGVS AVTHORVM QVI IN HOC OPVSCVLO CITANTVR.

Æſopus.
Ambroſius.
Appulæius.
Ariſtoteles.
Auguſtinus.
Boëtius.
Carolus ſcribanius.
Chriſoſtomus.
Cicero.
Claudianus.
Cleanthes.
Conſtantinus Manaſſes.
Cornelius Gallus.
Diogenes Laërtius.
Epicurus.
Erycius Puteanus.
Euripides.
Franciſcus Petrarcha.
Heſiodus.
Homerus.
Horatius.
Iob.
Ioannes, Gręcus Author.
Iſaias.
Iuſtus Lipſius.
Iuuenalis.
Lucretius.
Mæcenas.
Manilius.
Martialis.
Menander.
Metrodorus.
Nazianſenus.
Nouatianus.
Ouidius.
Palladas.
Paulus Apoſtolus.
Periander.
Perſius.
Phylemon Poëta.
Phocilides.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Pythagoras.
Salomon.
Seneca Philoſoph.
Seneca Poëta.

Google

Socrates.	Timon.
Solon.	Valerius Maximus.
Sophocles.	Velleius.
Teles Pythagoricus.	Virgilius.
Terentius.	Vrbanus Octauus.
Tertullianus.	Xenephon.
Tibullus.	

ERRATA.

Errata quæ inter imprimendum irrepſerunt ſic corrigito. Paginâ 16. *lin* 10, *lege* fœda. *pag.*26. *lin.*14. *lege* pueritia. *pag.*28. *lin* 9. *lege* prouectiorum. *pag.* 59. *lin.* 10. *lege* inambulantes. *pag.* 61. *lin.* 1. *lege* mendaciloquius. *pag* 93. *lin.* 16. *lege* tot tot flexuras. *pag.* 99. *lin.* 13. *lege* ſed. *pag.* 118. *lin. vlt. lege* quot. *pag* 120. *lin* 13. *lege* petens *& lin. penult. lege* fidas Sorores. *pag.* 121. *lin.* 16 *lege* exaſperat. *pag.* 159. *lin.* 1. *lege* linguæ. *pag.* 185. *lin penult. lege* iuuencis. *pag.* 193. *lin.* 13 *lege* conſanguineorum. *pag.* 194. *lin.* 10. *dele* in. *pag.* 216 *lin* 9. *lege* exagitatur. *pag.* 217. *lin.* 1?. *lege* duc o *pag.* 221. *lin.* 1 *lege* Vel ius. *Si quæ alia hic non poſita inter legendum reperias, corrigas rogo. Vale.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google